

V C
3961



R. 3

I

M



R. 33⁶, 13.

CEDUNT ARMA
TOGÆ,

Vc
3961

Hoc est:

DISSERTATIO BREVIS ET SUCCINCTA,
DE

BELLI ATRO-
CITATE,

ET

PACIS COMMODO-
DITATE,

COBURGI,

In Illustri Gymnasio Casimiriano,

Non ita pridem, ad diem scilicet III. Octobr.

Anno M. DC. XXVII.

Publicè in honorifico & pleno Virorum litterato-
rum consessu,

HABITA

à

M. JOHANNNE DILLIGE-
RO, EISFELDA-FR. CANTORE

Coburgensium.

Cicero Orat: XIII. Philipp.

Pacis nomen dulce est, res verò ipsa cum jucunda, tum salutaris.

A N N O

Extremæ Dei patientiæ. clō. 13c XXVIII.

Expresit typis Ducalibus JOHANNES FORCKEL.

L. Job. Bob. 4.



*Illustrissimo & Celsissimo Principi ac
Domino, Dno.*

**JOHANNI
CASIMIRO,
DUCI SAXONIÆ, IVLIÆ, CLI-
VIÆ, ET MONTANIÆ, LANDGRAVIO, THU-
ringiæ, Marchioni Misniæ, Comiti Marchiæ & Raven-
spurgi, Dynastæ in Ravenstein, &c.**

Domino meo clementissimo, munificentissimo:

*Cum Illustrissima illius Celsitudinis latissimus Natalis Sexa-
gesimus quartus, magnâ DEI gratiâ; singulari solennitate, &
pomposâ jucunditate:*

COBURGI,

Anno M. DC. XXVIII. ad XII. diem Junii,
CELEBRARETUR:

*Faustæ acclamationis & gratulationis ergò, quò multoties summo
cum tripudio feliciter recurrat:*

*Orationem hanc, cujus argumentum: Fried ernehrt/
Unfried verzehrt!*

*Humilimo calamo, & demississimo animo: memor sapientissimi Senecæ,
quod boni etiam farre ac fritillâ religiosi sint:*

*Offert ac consecrat
Subjectissimus cliens,*

**M. JOHANNES Dilliger/
Cantor.**



PROGRAMMA ORATIONI PRÆMISSUM.

Quod Deo misericordiâ optimo, virtute maximo gloriosum, Viris hac in urbe litteratis literatorumq; fautoribus gratum, Gymnasio florentissimo honorificum, omnibus discentibus salutare!

Die proximô MERCURII, qui erit III. Octob.

Cujus aurora benignè illuceat, & vespera feliciter emergat!

Post preces matutinas in Templo Mauritanio piè factas, & signum è Gymnasticâ datum turri,

Vir Præstantissimus & Literatissimus,

DN. M. IOHANNES DILLIGER,

Ecclesiæ ac senatoriæ Scholæ hujus loci Musæcus ac Cantor exercitatus,

Propriâ inductus pietate, quâ abundat; aliorum motus exemplis, quæ penetrant; & exercitiij gratiâ, quod laudabile,

De non-alienâ materiâ à deploratissimis his temporibus, quibus omnia flagrant bellico, cui juxta Virgilium nulla salus est, tumultu, & quibus omnes pii cum Jeremiâ, ut mucro Domini tandem requiescat, suam ingrediatur vaginam, refrigeretur & sileat, suspirant,

De pace nimirum, eam bello etiam justissimo præferendam esse.

ORATIONEM

Si res spectemus, prudenter, si Rhetorum attendamus leges, artificiosè conscriptam

Habebit.

Hunc ad actum

Quotquot hac in urbe ab auctoritate honorati, ab eruditione conspicui, & ab amore erga litteratos commendati, officiosè, submissè, amicè invitantur,

Studiofi verò adolescentes, ut frequentes convēiant, paternè monētur

COLLEGIO CASIMIRIANO.

P. P. pridie Galend. Octobr. anno M. DC. XXVII.

Ad Præstantissimum & Literatissimum Virum,
Dn. M. JOHANNEM DILLIGERUM, AMI-
cum suum Charissimum.
Piè & doctè differentem &c.

Heu Asceniadum quò cessit adorea virtus
Qua quondam in Scythicos aquilis volitantibus hostes
Ibat, & è Solymis quando victricia muris
Signa ostendebat sævo exitialia Turco?
Heu modò fraterno turgescunt sanguine campi,
Inclyta si rapido vastat viridaria ferro,
Igne suas ædes: & tristi clade triumphat,
Hostis & ipsa sui est, simul hostis & ipsa suorum.
Pone modum gladiis, madidis & pone querelis.
Nunc satis est fluidi libatum cæde cruoris!

Hoc optas calidis Vir præstantissime votis,
Dum diras Martis flammæ, dum commoda pacis
Aurea facundæ monstras conamine lingvæ.
O si nobiscum sentiret patrius orbis,
Et consopitis in mutua fœdera bellis
Iret & afflictas recrearet munere Terras!

Autograph.

Johannes Matthæus Meyfartus. D.



Lite cadunt magne, res crescunt pace minuta,
Et tamen hæc paucis, pluribus illa placet.
Ut plures fiant pauci, pauciq; vicissim,
Plures, votivum centuplicemus Amen.
Nempe huc Rhetoricum DILIGER tua dirigit arcum
Euepie. Ad Gyaras Marspiter omnis eat!

M. Melchior Steinbrück / Gym.
Prof. & Alumn. Inspect.



IN NOMINE IESU AMEN.



*D*um ego, *Viri Reverendi admodum, Amplissimi, Consultissimi, Experientissimi, Clarissimi: Et tu floridula juvenum doctrinae splendore corruscantium, politioris moris decore præcellentium, Virtutum laude florentium* Concio, quam præsentem intueor, attentam veneror, candidulam exosculor; dum ego, inquam, hujus mundi immundi statum teterrimum & Vitæ ærumnosæ ac odiosæ fluxum & flexum miserimum, ad rationis lucem, considerationisq; lancem revocans, paulò altius, exactiusq; æquâ animi trutinâ pensiculate pensito: vix me continere possum, quin cum illo Philosopho ad amissim erudito, pleno gutture & altâ voce exclamem: *O tempora, O mores! O terrorem & errorem! O imperatos mundi ferrei & dolosi mores!* Hæc enim ipsissima, sunt tempora, quibus homines magis mundo placere summis contendunt viribus, quàm summo **JEHOVÆ**. Imò, **DEUM** alitissimum, quo vis mundi deliramento postponentes, clementiam ejus ad extremum usq; halitum tentant; non tamen videntur sibi in tam lubrico & periculoso loco esse, ubi unicum infelix momentum! *Reputa tecum, ô homo, ac computa, quanto & quàm largo ære Mundi amicitiam mercari tentaveris, quem tamen amicum nunquam, nisi fortasse simulatum, & ad exiguum temporis expertus es, quam parum, aut ferè nihil in amorem Dei impenderis, qui tamen futurus erat ami-*

B

cus

Videatur
 invitatio
 Fraternalitatis
CHRISTIANI
 Edidit
 Argentorati, An. 17.
 pag. 32, & 33.

Gym.

DE CRUDELITATE BELLI,

ens certissimus ac perpetuus. Corpus ornâsti, ut esset puella, quæ formosum te diceret; vestibus luxuriatus es, ut esset simplex, qui te admiraretur; terras omnes excurristi, ut esset ineptus, qui id magnificeret; conviviis prodigus fuisti, ut te combibones laudarent; munera distribuisti, ut liberatis viderere; artes ostentasti, ut eruditus audires; ædes coloribus illinisti, ut remoreris prætereuntes. *O reputa tecum, mi amice, quanto parcius, minimoq; sumptu honorari ac coli Deus vult, nec ullâ re magis quàm CORDEPIO ac FIDELI delectatur: tanto mundus cuncta sua vult habere sumptuosiora ac laboriosiora, neq; de corde unquam est sollicitus, dum saltem in externa specie, & proluxa simulatione histrionicoq; apparatu nihil desit.* *O igitur tempora, ô mores!* Nonne præterea hæc vana & puerilia, quæ metuitis passim, ô Homunciones! Ut enim infantes ignem lubenter tractant, at sese urunt; Patrem vero personatum extimescunt: Ita vos Homulli voluptatum flammis gaudetis, iisq; peritis; DEUM verò sub afflictionum larvâ venientem fugitis & averſamini. *O igitur vanitas Vanitatum & omnia vanitas!*

In suo Heraclito, pag. 84.

Profectò in hac ultimâ feçe mundi mihi hominum prudentia similis videtur (loquor cum Clarissimo *Casspare Ens*) talparum labori, non sine dexteritate sub terra fodiendum, sed ad lumen solis cæcutientium. Terrenis in rebus, contractibus, inquam, acquirendis opibus, defraudandis proximis, plusquam sapiunt pleriq; mortales: at si eosdem in claritate divinæ lucis collocâris, Saturniis lemīs cæciores deprehendes. Nec mirum: cum sponte sua cæcutire velint. Prævident illi futuros eventus & mutationes in Republica: at præsentem suam perditionem non vident. De patriæ libertate propugnanda satagunt; mancipia interim sunt Diaboli. Hactenus verba *Gasparis Ens*.

Liccat

ET UTILITATE PACIS.

Liccat igitur mihi iterum querulâ voce exclamare
ô tempora ! ô mores ! ô res ! Et cur non tacitâ quadam
mecum querelâ muginer (utor *Puteani* lepôre) Cur non
obnubilatam caligine mentem geram? Cur non ad ravim
usq; plenâ voce; sed animo demisso & tristitiæ imbre coo-
perto & referto, exclamem? Cum sit *vanitas vanitatum &*
omnia vanitas, præsertim in hac spurcâ mundi amurcâ. O
Caucati rupibus duriora pectora, quæ quotidianum vulgi
stuporem, penitiori contemplatione animi intuendo, pro-
fanam non derident VANITATEM! Hoc enim majores
nostri questi sunt (inquit Philosophorum sincerissimus,
cui ubiq; modò non contra Deum, credere convenit, *Se-
neca*) hoc nos querimur: hoc posteri deniq; nostri queren-
tur: *eversos esse mores, regnare nequitiam, & in deterius res hu-
manas, & in omne nefas labi*: Studium pietatis decrescere,
rosam veritatis arefcere, & florem sinceritatis ac candoris
flaccescere, & marcescere; contra zizanium nequitiae vi-
rescere, lolium imperitiæ accrescere, carduos impuditiæ
flescere, & lappas malitiæ & maledicentiæ vigescere &
rorescere.

Conjiciat enim quis oculos in cujusvis ordinis ac con-
ditionis homines, claro aspiciat quis oculorum ictu ac ni-
ctu tam maximates, quàm infimates, & liquidò, ceu specu-
lo lucidissimo ac clarissimo, videbit, horum ferè omnium
mentes IMPIETATIS profluvio, INIUSTITIAE diluvio
non aliter ac naves in mari ferventissimo, æstuq; ardentis-
simo, impetu procellarum & ventorum vehementissimo,
velut inter Charybdim & Scyllam agitari & labefactari. Et,
ut uno dicam verbo, non modò ambobus oculis; sed etiam
adhibito spicillo aspiciat quis universam mundi immundi
machinam, hujus vitæ terrestris tenebricosum, vertico-

DE CRUDELITATE BELLI,

sumq; domicilium, & profectò experietur, quod nihil aliud sit quàm.

Vilhelmus
Alardus.

Ergastulum dolorum,	Et lachrymis madescit,
Æquor periculorum,	Tabescit, obstupescit.
Gymnasium malorum,	Ahimò!
Carcerq; tot laborum,	Orbis est hic omnium,
Spelunca Scorpionum,	Sentina tetra fordium,
Vallisq; lachrymarum,	Quâ pessimorum pessima,
In quibus misellus homullus,	Latè caterva confluit:
Mille inter curas,	Vbi fides, & optima,
Molestiasq; mille,	Quæcunq; prorsus exulant.
Angustiasq; mille,	Et fraus, nefasq; singulas
Horrescit, ingemiscit,	Vrbes frequenter occupant!
Suspiriis fathiscit.	

Hæc omnia liquido liquidius liquent. Incurrunt enim in omnium oculos confusiones, & discrimina varia, BELLA ATROCIA, fusus innocentum cruor. Quid ergò obstat, quò minus acclamemus tragicè cum *Sophocle*: *Nunc hæc est dies, quâ luctus atq; noxæ, mors, opprobrium, & quicquid malorum est omnium, in nos ingruit. Conversionem ac eversionem necessariò consequuturam, quis negabit?* Quorsum enim respexeris, in quemcunq; mundi cardinem, sub Cœli fornice oculos converteris, quamcunq; regionē & rempublicam consideraveris, omnia, prudentum imbutus monitionibus, nutare, pessum ire, labi, in fatalem quasi gyrum duci, & ferè funera rerump, luctuosa ante oculos poni cernes. Quid multis?

*Tempora sunt magni quæ prædixere Prophetæ,
Et quæ non vani concinuere viri.*

Discessit

ET UTILITATE PACIS.

*Discessit virgo, desunt Saturnia Regna,
Venerunt duro ferrea secla pede.*

*Ætate hac prorsum cecidit sanctissima Virtus,
Regnat ubiq; malum, regnat ubiq; scelus.*

*Quando adeò morum probitas jacuit, pietasq;
Quando adeò fidei justitiæq; decus?*

*Quando adeò infelix regina pecunia mundus,
Sic tibi servivit? sic quoq; te coluit?*

*Quando adeò neglecta fuit dilectio fratrum?
Quam toties Christus præcipit omnipotens.*

Jam jam expletur Vaticinium istud S. Johannis, five potius, quod S. Johanni ostensum fuit Apoc. 6, 3. ubi nimirum S. Johannes scribit: Et cum aperuisset figillum secundum, audivi secundum animal dicens: *VENI & VIDE.* Et exivit alius equus *RUFUS* & qui sedebat super illum, datum est ei, ut sumeret *pacem* de terra, & ut invicem se interficiant, & datus est ei *gladius magnus*. Jam præ foribus est illa crudelis laniena. Jam *Hannibal* bellicus, famelicus, luridus ad portas excubat: tempora jam graviter periculosa, & periculosè gravia, non instant; sed extant. Si enim curiosâ quadam indagine, & perspicacite sagaci diligentique inquisitione per universos humanæ societatis ordines circumtulero oculos, quid aliud visurus, nisi *clades*, vastationes, vastationumvè aut cladum præfagia funesta? Imò nos omnes ubivis nil audiemus personare aures, nisi *BELLUM* rumores, *BELLUM*q; metuentium suspirationes, nisi *EQUUM* istum *RUFUM* per omnes mundi plagas, (cheu!) *cursitantem*.

Adeò fortuna nunc universum nobis notum orbem, Amphitheatrum & arenas effecit, in quibus, illa nobis exhibeat ludos certè admodùm cruentos. A meridie *Papa*

DE CRUDELITATE BELLI,

Romanus imminet & consilia bellica quovis momento cum Furiis è cardinibus Averni prorumpentibus, adversus fidei Christianæ addictos nos agitat. Hoc enim unicum habent in votis, corde & medullis *Jesuitica Harpyia*, ut omnes *HÆRETICI* (*Lutheranos* intellige potissimum) funditus, radicatusq; extirpentur, deleantur, evertantur. Ut in proxima oratione, cum bono Deo, manifestissimè comprobatum dabo.

Turca ab Oriente extremos *Sauromatas* adducit *BELLUM* inferendi nobis.

Ab Occidente *Iberus* præstolatur, ut Canis sitientissimus nostri sanguinis. *Bella* geruntur assiduè, gens cum gente, regnum cum regno, Civitas cum civitate, Princeps cum principe, Populus cum populo colliditur, & (quod Ethnici quoq; fatentur impium) affinis cum affine, cognatus cum cognato, frater cum fratre, Filius cum patre, deniq; (quod his omnibus atrocius) *Christianus cum Christiano hostiliter concurrat*.

Non igitur est quod de argumento dissertationis animi pendeam diu: Cùm facies orbis universi, illud mihi non suggerere, sed ingerere; non offerre, sed maximâ cum importunitate obtrudere videatur. Nempe hoc periculoso & bellicoso tempore, De *Bello* pauca dicam, utrum illud sit gerendum, hac extrema mundi senecta, vel negligendum: Hoc est, firmissimis argumentis, contra *pullos Martios* istos qui clamant:

Nulla salus paci bellum te poscimus omnes.

Probabo: Bellum, quantum quidem per Dei justitiam & amorem salvaq; conscientia fieri potest, non esse gerendum hoc exulceratissimi ævi spineto, ubi nullus relinquitur locus gaudiorum vireto, jucunditatis oliveto, voluptatis, (puta

ET UTILITATE PACIS.

(puta concessæ in Domino) Vineto; sed *pacem omnium maximum Bonum* juxta *Augustinum*, etiam *justissimo Bello* esse *preferendam*.

Vereor autem plurimum, ne feriar & mihi objiciat aliquis, in criticam censuram proclivis *Apelles*: Non esse futuri ultra crepidam, aut fabro ultra malleum. Ad Divæ eruditionis & prudentiæ aulam regiam & egregiam neq; *Bellephorontis*, neq; *Palladis* aut *Astrææ* equitavi Caballo, ingenuè fateor. Quid verbis opus?

Invida me spaciis natura coercuit arctis,
Ingenii vires exiguosq; dedit.

Cum tamen ex sententia *Platonis* dignitas Orationis debeat esse conjuncta cum Majestate Verborum, melleo *Hyblei nectaris*, rore tinctorum.

O me miserum, quid insanus præsumo! Nunquam in Oratoria palæstra mihi adfulsit *Phæbeus ignis*, nec me cinxit traxit & illexit *Mercurialis Virga* & *Clypeus*, *Demosthenicus Cothurnus*, *Pericleum fulmen*, *Xenophonthæa svaavitas*, *Ciceronea gravitas*, *lacteus Liviana dictionis candor*, *Quintilianeæ mundicie vigor*, *multis calamistris inustus* & *vermiculatus*, ut hoc mihi de suo largiatur, *Valentinus Arithmæus*.

Quæ igitur, obganniet aliquis, tua confidentia vel imprudentia, ut rejecto *Palladis* freno aureo, ex adfectu fremente, & mente tumente potius, quàm ratione monente & muniente suffultus prorumpas? *Dromonis* tutaberis partes, non *Platonis* aut *Chironis* artes?

Sed relinquo *hos terræ filios*, qui super caput lapidem illum *Jovis* magni sentiunt, quibus invidia fumus oculos infestat, non ad veram scientiæ aulam, sed severam impudentiæ caulam anhelantibus. Munus hoc suscepi, non quia
mihi

DE CRUDELITATE BELLI,

mihi persuaferim, illud spirare reconditam absoluti laboris medullam: hanc enim neuriquam fert ingeniolum meum, claustris extremæ tenuitatis constrictum; sed, quia *CHRISTIANUS sum: & ex ore infantium CHRISTUS JESUS sibi perfecit laudem. Intelligitis, opinior, quò tendam.*

Age in nomine *Jesu*, alexæ jactæ, felicitatem tentabo, seu potius asperitatem, cum *JESU* meo superabo.

Vestram autem attestor & acclamo benevolam præsentiam, præsentem benevolentiam, illa seruitiorum magnitudine, officiorum promptitudine quam flagitat necessitas, injungit honestas, imperat pietas. Voti compos factus, progrediar distinctè, egrediar succinctè. Antequam autem ad præsentem materiam me confero, invoco te & supplex adoro:

O Jesu Rex admirabilis,

Et triumphator nobilis,

Dulcedo ineffabilis,

Totus desiderabilis,

Sis mihi nunc affabilis, Amen.

Ovilissime homuncio, ô pulle *Martis* impudentissime, tunc summi Dei jussa de *Pace* quærenda ventis committere & aspernari contendis? Quod si *Ducis* aut *Decurionis* tui mandatum negligis, fustuarium mereberis: quid futurum censes de te, si *Deum* qui *pacem* quærere & *Concordiam* amare jubet bellis tuis & rixis postposueris? Reseremus jam divinæ sapientiæ pretiosissimos thesauros, fragrantissimū *Scripturarum* sacrarum myropolium recludamus, *Propheticorum* librorum replicemus memoriam, *Apostolorum* enucleemus monumenta, in salutem *CHRISTO* adherentium posteritati relicta, divinas illas pandectas volvamus ac revolvamus, hinc inde *Deum* omnipotentem, ipsum principem

ET UTILITATE PACIS.

principem pacis, (Jesa. 9, 6. *ad pacem colendam & pro eâ orandum*) seriò omnes adhortari hõines, adimadvertere licet. Audiamus saltẽ *Davidẽ*, at quantũ Theologum quantũ chronologum? *Recede à malo, inquit, & fac bonum: REQUIRE PACEM & SECTARE EAM* (Psal. 34, 15.) *Rogate quæ ad pacem sunt Jerusalem.* (Psal. 122, 6.) *Quin imò, mansveti hereditario jure possidebunt terram, & oblectabunt se in multitudine PACIS.* (Psal. 36, 11.) *& Deus solus est, qui disponit termino nostro Pacem.* (Psal. 147, 14.) *Summus JEHOVA Iudæos in Babylonia, per Jeremiam, de officio in captivitate, inter cætera ita admonet: Quærite prosperitatem sive pacem istius civitatis quò deportavi vos, & orate pro ea JEHOVAM; nam in prosperitate ejus futura est vobis prosperitas.* (Jerem. 29, 7.) *CHRISTUS* ipse *BEATOS* ἐὶς ἡμετέρας prædicat, (Matth. 5, 9.) multa adhuc perfectæ concordæ Sacramenta, & innumera *Pacis* documenta adferre possemus, si esset opus. Zach. 8, 16. *Das ist aber daß ihr thun sollet / rede einer mit dem andern die Wahrheit / vnd richtet recht / vnd schaffet Friede in ewern Thoren.* Et v. 19. *Allein liebet Wahrheit vnd Friede; Paucis enim hisce è penu sacrarum literarum depromptis, animus pacificus tutò acquiescere potest. Vnum præceptum Christus appellavit suum, nempe Charitatis. Cum hac quid æquè pugnat ac bellum? Felici Pacis nomine salutat suos Discipulos: Pax vobis. Præter Pacem nihil donat, nihil relinquit.*

Quid undiq; sonant *Divi Pauli* Epistolæ, quid *Apostolorum* doctrina universa, si excutiatur, nisi *Pacem*? Nihil unquam in istorum scriptis reperietur, quod non spiret *Pacem*, quod non sonet *amicitiam*, quod non sapiat *charitatem*.

C

sem?

DE CRUDELITATE BELLI,

tem? Omnes certè *Pauli* literæ pacem præferunt, *Concordiam* & *charitatem* præcipiunt. Quid *Johannes* loquitur? Quid *Petrus* iterat, nisi *dilectionem*? Quid *Jacobus* aliud? Quid aliud omnes verè *Christiani*?

Adesto *Xenophon* ad amussim erudite, famâ celebratissime, tuâ me sustento pennâ, tu me erigo calami fulcro. Tu enim & omnes sapientes monetis â *BELLIS* abstinendum esse, etiamsi graves sese offerant *BELLI* gerendi causæ. Tu certè beatissimas judicâsti *Respub.* quæ plurimò tempore in pace fuerunt, (*Xenophon lib. 6. De rebus gestis Græcorum.*)

Advolato, inter *Philosophos* *Aquila*, *Seneca*, ingenium cui *Diis* & mens contermina *Cœlo*, nonnè *pacem* laudibus ad *sydera* tollendam, *Bellum* contra cane pejus & angue fugiendum, ultro confirmabis? Quid *Cassandra* ad *Hecubam* apud *Euripidem* ait? ita:

Φεύγειν μὲν ἐν ἡρεῖ πολέμον ὅσις εὐβρονεῖ.

Fugiendum cui vivis sapienti homini *Bellum*.

Sistito te *Erasme* multijugâ eruditione prædite & referte, arbitrumq; te ponito, utra pars sit eligenda. Certè mihi per omnia ad stipularis, dum inquis: *Quod si quicquam est in rebus mortalium, quod cunctanter aggredi conveniat, imò quod oporteat modis omnibus fugere, deprecari, propellere, certè Bellum est, quo non alia res vel magis impia, vel calamitosior, vel latius perniciofa, vel hærens tenacius, vel tetrior & in totum, homine indignior, & ne dicam Christiano.* (*Eras. in oratione de Bello.*) Itaq; *Rex* & *Consilarii* sub aurato tholo inter peristromata de *Bello* consultantes, in acie se versari credant; ut prudenter *Clarissimus Dn. Besoldus* admonet. (*Diss. de arte & jure belli fol. 5.*) atq; eo animo sint, quo illi, quorum

aurcs

ET UTILITATE PACIS.

aures circà strident emissa tormentis jacula: *Si consulentium interdum quies unius sclopi globulo terreretur, multò sedatius Bella decernerent.* Rectèq; Princeps Outopianus, cum magno numero Consilarii de *Bello* consultarent, jamq; senatus consultum pro *Bello* subscribendum esset, clam constituit, ut ex opposita senaculo turri, per vitreas fenestras in conclave jacularentur Milites, sine ullo periculo eorum, qui adessent, sed ingenti pavore, cum volitare speculariū fragmina viderent, omnes diffugere, tuta quærere: monebat princeps, ut in periculo interriti consisterent, sed frustra; *Vicit timor verecundiam, & solus in periculo, ut putabant Princeps destituitur; ille civiliter timori ignoscens: Nemo,* inquit, *Bellum suadeat, nisi qui & ferre pericula potest. Me in periculo destituitis, verbo Leones, vè Lepores.* Hinc etiam veteres illi Poetæ, qui rerum vim & naturam & sagacissimè perspexerunt, & aptissimis figmentis adumbrarunt, tradiderunt *BELLUM* ab inferis immitti, idq; Furiarum ministerio: neq; quamlibet Furiam ad hoc negotii conficiendum, esse idoneam:

Deligitur omnium pestilentissima,
 — Cui nomina mille,
 Mille nocendi artes.

Hæc innumeris armata *colubris*, tartaream buccinam inflat. *Pan* insano tumultu complet universa, *Bellona*, atrox quatit flagellum, Furor impius ruptis omnibus vinculorum nodis evolat horridus ore cruento. Hoc ipsum & Grammatici probè adnoverunt: quorum alii *Bellum* per antiphrasin dictū volunt, quod nihil habeat neq; boni neq; belli; nec aliâ ratione *bellum* esse *bellum* quam *Furia* sunt seu dicuntur *Eumenides*. Quidam à *Bellua* deducunt, quod

DE CRUDELITATE BELLI.

quod belluarum sit, non hominum, in mutuam exitium concurrere.

At profectò plus quàm ferinum, plus quàm belluum videtur, armis conflare. Siquidem pleraq; brutorum animantium in suo quodq; genere, concorditer & quasi civiliter degunt, gregatim incedunt, ope mutuâ se tuentur.

Licet quædam pugnent, facile tamen excusari possunt. Imò *Basiliscus* & reliquæ feræ rarò ad sanguinem, propter ipsum veniunt, fame stimulante rapiuntur ad hæc sæva, quæ ubi resederit, plurimum & ira & crudelitas: nec resumunt hanc, nisi fame victæ. Homines, quantis de causis ad sanguinem decurrunt? Quantis in innoxio sæviunt jugulo? Quoties efferâ rabie viscera scrutantur nihil nocitura? Quoties tanquam per jocum & lusum alexæ jactumvolvuntur in sanguine? Et *Belluis* satis est occidisse homines; etiam tormenta quærunt in morte indignabundi, si in uno simplici què mortis genere hostis cadat, cogitantq; sævitix suæ pabula, ut toties pereat, quoties per novos cruciatus pellicitur anima. Nec hîc stare consuevit crudelitas, lentas perquirunt mortes, ut per singulos cruciatus ferocia probetur. *Vellent nimirum æternum inimicum mori, in æterno cruciatu, novisq; auctibus per momenta pœnas crescere, odio crescente. Ita, dum æterna fovent aluntq; odia, æternos fovent cruciatus.* **Horrendum!** *Neq; satis sævisse in viros, itur ad mulieres imbellem sexum, in quarum etiam uteros sævire placet. Mitior Herodes, qui in natos sæviit, nec passus est milites sævire in abdita natura, quæ voluit crudelitatis suæ intacta.* At inter arma non pauci, ubi classicum insonuerit, nisi effodiantur uteri, & vix ingressæ animæ (utor verbis *Caroli Scribanij*) violentâ raptentur manu, nimis sibi clementes videntur.

Dura

ET UTILITATE PACIS.

Dura obstetricatio, quæ ferro viam parat in interitum.
Sed neq; hîc furori finis, itur in lapides, arbores, herbas,
pomaria, in piscinas, fontes, flumina. Sed quousquè furor!
Et homines hi dici volunt, & non immanissimæ belluæ?
Rectissimè igitur olim Satyricotum facilè Princeps *Juvenalis*:

Sed jam *serpentum* major concordia: parcit
Cognatis maculis similis fera: quando *leoni*
Fortior eripuit vitam *Leo?* quo nemore unquam
Expiravit *aper* majoribus dentibus *apri?*
Indica *tigris* agit rabida cum *tigride* pacem
Perpetuam: sævis inter inter se convenit *ursis*.
Ast homini ferrum lætale incude nefanda,
Produxisse parum est: quum rastra: & sarculatantum
Assueti coquere: & marris: ac vomere lassî
Nesciverint primi gladios excudere fabri.
Aspicimus populos: quorum non sufficit ira
Occidisse aliquem: *sed pectora: brachia, vultum*
Crediderint genus esse tibi. Quid dicet ergo:
Vel quo non fugeret: si nunc hæc monstra videret
Pythagoras: cunctis animalibus abstinuit qui
Tanquam homine: *Et ventri indulsit non omne legumè?*

Satyra 15. in ipso fine. fol. mihi 135. fac. 6,

Licet igitur, inquam, quædam pugnent, suis tamen
pugnant armis: Nos præter naturam, cacodæmonum arte
excogitatis instrumentis in mutuam utimur perniciem. Ut
non immeritò mihi dixisse videatur *Tibullus*:

Quis fuit horrendus primum, qui protulit enses,

Quàm ferus Et verè ferreus ille fuit?

Tunc cedes hominum generi tunc praelia nata

Tunc brevior dira mortis aperta via est.

(lib. 1. Eleg. 10.)

Certè v. l.

DE CRUDELITATE BELLI,

Verè prin-
cipe dignis-
sima vox.

Certè dolendum est, certè, inquam, dolendum est, & tantum non sanguineis deplorandum lachrymis, homines in propria suæ naturæ viscera sævire. O misericordissime *Deus!* Quàm pauci hodie reperiuntur, qui verè principe dignam ejusmodi proferunt moderatam animi sedati sententiam: qualis fuit *Alberti Austriaci Ducis*: qui, cum ad bellum, *Basileensibus* (cum quibus ipsi lites multæ erant) inferendum adhortantibus respondit: *Si Deus pugnavit cum Basileensibus, & contrivit terræ motu & igne: nequaquam nos pugnabimus cum eis: absit à nobis tanta crudelitas, ut dejectos, vulneratos ac humiliatos occidamus. Edificent, erigant dejectam urbem* (Incluta enim *Basilea*, tum temporis, terræ motu & igne afflicta fuit) *& ad placitum muniant, ad quod & manus nostras eis porrigemus; & dum æquales, fortunæ nobis fuerint, si libuerit, pugnabimus cum eis. Sic verò, ut nunc sunt, non solum non impugnabimus, sed adjutorium præstabimus, ut memorat Dn. Besoldus (in diss. polit. de Rep. curandâ fol. 141. ex Felice Fabri.)*

Intueatur enim quis paulò accuratius habitum & figuram corporis humani, annon protinus intellecturus est, *Naturam* vel potius *DEUM*, animal hoc non bello, sed *amicitiæ*: non *exitio*, sed *saluti*: non *injuriæ*, sed *beneficiæ* genuisse? Nam cæterorum animantium unumquodquè suis instruxit armis: (loquor cum *Batavo* quodam viro disertissimo, quem magni facit *Caspar Ens*, *Morosophia* suæ lib. 1. cap. 14. pag. 109. & 165. quæ, ut & nos hoc loco, ut & in sequentibus quædam huc facientia, infereremus, temporum nostrorum suasit similitudo, quibus omnia intestino atq; exitiabili Bello fervent: tum, quod meliora & acutiora vix excogitari possunt) *Taurorum* impetum armavit cornibus, *leonum* rabiem ungvibus, *apris* fulmineos infixit

ET UTILITATE PACIS.

fixit dentes. *Elephantis* cutem & molem promuscide quoq; armavit. *Crocodilum* crustis, velut laminis communivit. *Histicem* spinis, *Rajam* aculeis defendit. *Gallis* calcar affixit. Alia testis, alia corio, alia cortice texit.

Sunt quorum incolumitati pernecitate prospexit, velut columbis. Sunt rursus quibus venenum vice teli tribuit. Addidit his, speciem tetram ac belluinam: Addidit oculos truces, vocis stridorem horribilem: *Solum hominem nudum produxit, imbecillum, tenerum, inermem: Carne mollissima, cute levi. Nihil usquam in membris, quod ad pugnam aut violentiam datum videri possit: ut ne dicam interim, quod cætera ferè statim ut nata sunt, sibi sufficiunt ad vitam tuendam: Solus homo sic prodit, ut multo tempore totus à subsidio pendeat alieno. Nec fari novit, nec ingredi, nec cibum capere, vagitur tantum implorat opem: ut vel hinc conijci possit, solum hoc animal totum amicitiae nasci, quæ mutuis officiis & coit & coheret potissimum. Quid, quod etiam speciem dedit homini Altissimus, non tetram ac horridam uti ceteris animantibus; sed mitem ac placidam, benevolentiae & amoris notas præ se ferentem. Tribuit oculos amicos; & in his animi signa. Dedit brachiorum sinus ad amplexum. Dedit osculi sensum, quo ceu sese contingerent & copularentur animi. *Uni risum attribuit, alacritatis indicium; Vni lachrymas clementiae & misericordiae symbolum.* Quin & vocem dedit non minacem & horrendam, sicut belluis; sed amicam & blandam. Cætera omnia hinc adducere, quid attinet? Ira habetis Auditores omnium ordinum lectissimi, Hominem aliquo depictum modo: nam perfectè & plenè, in tam brevi temporis decursu id fieri non potuit. Nunc *BELLI* simulacrum ex adverso cum hoc ipso, si videtur, comparemus. Jam igitur videre vos putate,*

tate,

DE CRUDELITATE BELLI,

tate, auditores colendissimi, attentissimi, barbaras cohortes ipso vultu sonoq; vocis horrendo, vix quidquam humani præse ferentes, hinc atq; illinc instructas ferratas acies, formidabilem armorum crepidum simul & fragorem: horrendum tantæ multituginis fremitum; rauca cornua, terrificum taratantaræ strepitum, tonitrua bombardarum, veris non minus formidolosa; sed magis noxia, ac periculosa, clamorem insanum, furiosum concursum, immanem lanienam. Cædentium & cadentium crudeles vices, congestas strages, campos cruore exundantes, fluvios humano rubentes sanguine. Tale profectò spectaculum fuit exhibitum, dum *Attilas* contra *Gothos* & *Romanos*, inter alia suum exercitium tali ex tempore credebat alloquio confirmandum: *Quid aliud vos quàm bellare consveti? Aut quid fortis suavius, quàm vindictam manu quærere? Magnum munus à natura, animum ultione satiare. Aggrediamur ergo hostem alacres, audaciores sunt semper, qui inferunt BELLUM. Consurgant animi, furor solitus intumescat. His verbis accensi, impugnam cuncti præcipitantur. Et quamvis haberent res ipsæ formidinem; præsentia tamen Regis cunctationem hærentibus auferebat. Manus manibus congregiuntur, Bellum atrox, multiplex, immane, pertinax, cui simile nulla usquam narrat antiquitas, ubi talia gesta referuntur, ut nihil esset quod in vita sua conspiciere potuisset egregius, qui hujus miraculi priuaretur aspectu. Nam si senioribus credere fas est, (refero verbis *Iornandis Vigili*) rivulus memorati campi (inruens locum pugnae) humili ripa prolabens, peremptorum vulneribus sanguine multo proventus, non actus imbribus, ut solebat, sed liquore concitatus insolito, torrens factus est cruoris augmento. Et quos illic coëgit in aridam sitim vulnus inflictum, fluenta mixta clade traxerunt: Ita constricti sorte miserabili sordebant, potantes sanguinẽ, quem fudere sauciati.*

Ostende

Iornandes
Vigilius de
Rebus *Ge-*
thicis, cujus
Historia
Justiniani
Augustiani
nexa est: i-
deoq; pag.
1105. hæc in-
venire li-
cet.

Hæc omnia
Iornandes
Vigilius
libr. de re-
bus *Geticis*
fol. 1102.

ET UTILITATE PACIS.

Ostende mihi, ò viator, ò amice, non dicam signum, non vestigium, non particulam; sed tantum umbram! quid umbram? si quid umbrâ esse potest vilius, humanitatis. Hic certè vidisses, audisses, cum stupore mentis percepisses utrinque formidabilem armorum crepitum: horrendum tantæ multitudinis fremitum & strepitum: clamorem insanum, concursum furiosum. Hic, hîc cernere erat immanem lanienam, trucidationem nefandissimam, humanitatem planè abolitam exutam, atque exterminatam.

Ita etiam non paucos hodie offendas, *qui de hostium cutibus & se & equos integant*, crudeli provocamento; sunt quibus *cibi sunt humana viscera, & qui hostilem cruorem è vulneribus ebibunt belluino suctu.* Crescitque apud hos gloria ab epoto sanguine, ut inter opprobria vel maxima sit, hunc ignorâsse, castasque retulisse fauces, quin & fœdera inter hos cruenta sunt, mutuoque mistum sanguinem alacres hauriunt? hinc decantatum illud:

————— ————— *Solitosq; cruentum,*
Lacpotare Getas, & pocula tingere venis.

Nec honos alius major, quàm plurimum hausisse ab adversarij jugulo, *dum adhuc calet anima & spirant minæ, & fervent odia, quasi abeuntem inimicam animam in viscera sua tanquam in hostili monumento recondituri, quo æternum sevi-* ant: quemadmodum non tam eleganter quàm vere disse- rit, *Carolus Scribanus, in Philosopho Christiano, capite de Bello, Pag. 369. reperies, ne quid immanitati desit, quibus decus summum in parentum cadauera sævire dentibus, & pecudum mistas carnibus mensas instruere, capitumq; ossa auro inornata in poculorum circum ferre ministerium, quo purior sacratorque ex his bibat, quicunq; sanguine prior* est

D

est

DE CRUDELITATE BELLI,

est, ut mitia jam censeas *Diomedæa* præsepia, in quibus in hominem non sæviunt humani dentes.

O feras & ferinas lanienas ! profectò istiusmodi legenti & insuper meditati

(Virgil. Pag. 1216. 25.) for-
MA 12.

————— ————— *mibi frigidus horror*
Membra quatit, gelidusq; coit formidine sanguis.

Vidisses & tantum conflictum in *Campis Pharsalicis*, ubi *Pompejus* octoginta & octo cohortes triplici ordine locavit: fuere autem peditum plusquam *quadraginta millia*: equites in sinistro cornu *sexcenti*, in dextro *quingenti*: præterea *reges multi*: *Senatores*: *equitesq; Romani plurimi*, absq; levium armaturarum magna copia. *Cæsar* similiter *octoginta cohortes* triplici ordine disposuit, cui fuere minus quàm *quadraginta millia* peditum, equites mille. *Videre ibi gemere erat*, inquit *Historicus Paulus Diaconus*, *contractas Romanorum vires in Campis Pharsalicis ad occisionem mutuò constitisse, quas si concordia rexisset, nulli populi, nulli reges ferre potuissent*. Prima congressione equitatus *Pompeij* pulsus, sinistra latera nudavit. Deinde cum diu utrinque dubiâ sorte caderentur, atque ex alia parte *Pompejus* diceret: *PARCE CIVIBVS*, nec tamen faceret; ex alia verò *Cæsar* hoc faceret, quod urgeret dicens: *MILES faciem FERI*: tandem universus *Pompeji* fugit exercitus, caltraque ejus direpta sunt. Recensente *Paulo Aquilegiensi Diacono* (in *Historijs Miscellaneis*, lib. 6. Pag. 193. & 194.)

Videatur &
Polybius lib. 6.
pag. 505. lib. 3.
Pag. 229.
Eodem lib.
Pag. 273.
in primis verò
ibidem Pag.
238.

Non minorem cernere licuisset mactationem, si in *Hannibalis* castris paulisper versatus fuisset. Ille enim, postquam *quadraginta quatuor millia Romanorum interfecerat*, (nullo tamen *Punico Bello Romani* adeò ad extrema inter-
necionis addicti sunt, ut scribit *Historicus*.) *Romanis* obtulit, ut *captivos redimerent*; cumque ipsi responsum esset à

Senatu:

ET UTILITATE PACIS.

Senatu: eos cives non necessarios, qui cum armati essent, capi potuissent. Hannibal omnes postea variis suppliciis interfecit.

Idem quibusdam ima pedum amputavit, alios in castris binos inter se ipsos dimicare compulit, maxime fratres, aut consanguineos: nec prius spectaculum finiebatur, quam unus cædibus superfuisset, sed & ipse jugulandus. Et protestimonio victoriæ suæ **TRES MODIOS ANNULORUM AUREORUM** Carthaginem misit, quos ex manibus interfectorum Romanorum equitum, Senatorumq; & militum detraxerat. Idem *Aquilegiensis* (lib. 3. fol. 72.

O milites gloriosos, ô bella nefandissima! Quid hinc magnum, ô milites efferatissimi, in quo jure quisquam gloriatur, meritamq; laudem speret? An magnum in mutuo sævire sanguine? Et belluas feritate superare, aut in natura dedecorationem flumina, mariaq; humano cruore vincere, telluremq; in visore rore fœcundare? An stare, re percusso cursu cadaveribus flumina, humumq; sub pondere ingemiscere indignabundam? *Hannibalem, Vergellum* flumen corporibus instravisse *Romanis*, exercitumq; per cadaverinum traduxisse pontem, quid fuit magnum? Quid, cum apud *Cannas*, per *Romanos* annulos, ut modò audivimus, cædes suas **MODIO** metiebatur? Quid, *Mithridatem* octoginta *Romanorum* millia per *Asia* urbes dispersa uno imperio jugulasse, & tanquam unius arundinis internodia, unius cervicis caput præscidisse? Quid, *Scipionem* octoginta cæsorū millibus, præliis duobus *Africam* cruentasse? Quid, *Marium*, centum *Teutonum* millibus, quid eundem cum *Catulo* triginta supra centum *Cimbrorum* millibus *Italiam* delassantem? Quid, *Lucillum*, quinque præliis, sexcentis & amplius cæsorū millibus gravem, ut natate in suorum sanguine *Mithridatis* & *Tigranis* regna potuerint? In exercitu verò *Darij* decies

homo sacra res
homo jam per
lusum & jocum
occiditur: &
quem erudiri
ad accipienda
inferendaq;
vulnera nefas
erat, is jam
nudus inermis
que produci-
tur, satisq; spe-
ctaculi in ho-
mine mors est.
Seneca Epist. 96
Videatur Caro-
lus Scribanus
dicto libr. &
capite.
Evolvatur *J.*
Florus.
Consulatur *T.*
Libius.
Introspiciatur
Polybius.
Legatur *Paulus*
Diaconus, ho-
rum omnium
epitomator.
Adhibeatur
Barnabas Bryse-
sonius.
Adducatur *Ca-*
spar Ens, & alii
Historici, qui
de *Romanis*
bellis & aliorū
populorum
conflictibus
longè lateq;
scripserunt.

DE CRUDELITATE BELLI,

eies centena armatorum millia numerata, caesaq;, aut non magno negotio à *Macedone* in fugam versa. Et *Xerxem* *mille ducentarum longarum navium* apparatu, *duobusq;* onerariarum *millibus*, maria terramq; peditum *septingentis millibus*, equitumq; *quadringentis millibus*, fatigantem legimus, suorum caede, nec memoranda re aliâ nobilem. *Cesarem* autem annis non totis decem, extra ingentem captivorum numerum, *supra decies centena millia* cæcidisse, uno ore narrant Historici. Quid putatis, auditores honoratissimi, Nonnè potuerunt ab hoc sanguine ingentia nasci flumina, quibus immanis hæc feritas satiaretur? Nonnè potuit navigare classis in hoc barbaro sanguinum Oceano? Ac nescio an sub *Pompejo* pauciores ceciderint. In *Constantini* lanè cum *Magnentio* pugna spectavit *Roma* civium suorum *supra quatuor & quinquaginta millia* cæsa, cum sub *Cesare & Pompeji* liberis fatali propè congressu non *supra triginta millia* vidisset. Ita regna omnia orbisq; universus *Romano* natavit sanguine; natavit suo, ut si sanguinem admetiaris, dubites an fluminibus vincatur.

Videatur *Philipp. Camerarius Cent. 3. Horarū subcisi. cap. 79. fol. 279. & seqq.* Introducit ibi *Nicolaum Damasenum*, sic scribentem: *Gladiatorum spectacula non in conventibus solum, aut in theatris Romani exhibebant; Verum etiam in privatis cō-*

Verùm quid miramur ab hostili manu & mente tot undiq; sanguinum manasse, flumina, cum etiam per lusum, & in oculorum oblectamentū in uno *Romano circo* ac *Amphitheatro* non pauciores quàm justis plerisq; exercitibus ceciderint? *Centum* sanè sub *Tito* editionis dies, sub *Traiano* *centum viginti* legimus, & in iis non semel *gladiatorum millia decem.* (ut *Carolus Scribanus* in *Philosopho Christiano, cap. de Bello, pag. 441. scribit*) Quid, quòd die una, vicies non semel *Amphitheatrali* area defabulata? Ut non opus fuerit *Euripis*, cum sanguine navigare potuerit classis. Subduc rationes, pergit *Scribanus*, & videbis unam hanc *Amphitheatralem aream* plus in *altâ pace* vidente vultu hausisse sanguinis

ET UTILITATE PACIS.

guinis, quam omnibus propè *Bellis Caesar* fuderit. Quod si ad nostra tempora oculos flectamus, nescio plus minusve humani sanguinis fluxerit.

Plura adducere exempla plusquam ferinae crudelitatis, ni in immensum cresceret oratio, & splendidissimum hoc auditorium ultra destinatum derineretur tempus. Hic autem mihi temperare non possum, quin unum atq; alterum, sed brevibus, in medium proferam. Superiorum autem temporum Historiae testimonio esse possunt; vivente etiam nunc *Carolo V.* quinquaginta hominum millia, unicum ob Hæreseos crimen, ad supplicia miserrima & crudelissima, in solo *Belgio* raptos. Teste *Emanuele Meterano* (*In Beschreibung des Niederländischen Kriegs. lib. 2. fol. 50.*) *Ferdinandum Ducem Albanum*, paucis illis annis (sex numerantur, ut cum clarissimo *Dn. Besoldo* sentiam, *in signis temporum Diss. 1. fol. 2.*) quibus *Belgio* obfuit, cum præesse deberet: decies octies mille utriusq; sexus homines, clanculum & palam furialibus carnificinis sustulisse constat. *Auct. Orationis de jure Belli Belgici. Meteranus lib. 4. fol. 154.* Quid autem hoc est, quod *Bernardinus Mendoza* scribit, à mense *Vitili*, Anno 1576. quo internecini motus in *Belgio* sunt renovati, ad edicti anno subsequenti factam promulgationem, amplius XXX. Provincialium civ. ab *Hispanis* cæsa fuisse. *Thuanus Historicus* accuratissimus refert. (*lib. 64. fol. 136. Germanicæ editionis.*) Quid, quod in *Gallijs* intra duorum & viginti annorum spatium: initio scilicet ab Anno 1564. sumpto: Centum & quadraginta millia, variis pœnis, Bellorumq; turbinibus absorpta sunt, ut clarissimus *Dn. Christophorus Besoldus* ex varijs Autoribus confirmat. Quod credi oportere, quis negabit? Cùm *Antonius Ciccarella Platinae* continuator, referat in vita, *Gregorij XIII.* quod *Pontifici*

vivijs. Multi si quidem sæpius amicos ad cænam invitarunt cum alijs de causis, tum ut duo vel tria gladiatorum paria cerneret. Introspectiatur ipse *Camerarius* & mira apparebunt: Crudelitatem summam observabis: immanitatem nunquam exauditam, merito execraberis: lanienam plusquam diabolicam summo jure vituperabis.

Casu in meridiano spectaculum incidi, lusu expectans & sales, & aliquid laxamenti, quo hominum oculi ab humano cruore acquiescant.

Contra est. Quicquid ante pugnatum est, misericordia fuit. Nam omissis nugis, mera homicidia sunt. Nihil habent quo telegantur ad ictum

DE CRUDELITATE BELLI,

tifici dixerit Legatus Regis Galliarum : post mortem *Ammiralij*, septuagies mille hereticos, annis quatuordecim in gratiam Pontificis trucidatos fuisse. Quid putatis, auditores candidissimi? Nonnè hæ omnes immanes laniens? Nonnè cadentium & cadentium crudeles vices? Nonnè congestæ strages? Ubi enim Campi cruore exundantes; si non in *Campis Pharsalicis*? Ubi fluvij humano rubentes sanguine, si non in *Castris Attilæ Mundi flagelli, & Hannibalis Romanorum dormitoris*? Ubi flumina innocentium hominum sanguine, tanquam largo imbri largiter decurrentia, si non quondam in *Bello Romano in Italia: in Persico, in Asia: Vandalico in Africa: Gothico in Europa: Superiorique tempore in Regno Anti-Christiano?* hodieque in dulci Patria Germania.

O dolor! ô barbarum efferumque ferrum, inferis non Cælo cufum! ignibusque devovendum caput, quod primum ausum fuit armare manum, magis etiam cum in viros Principes, exercitus ductores, *Reges, Imperatores!* Ite mei oculi,

Lacrymas lacrymis miscere juvat, voces fundite querulas, lamenta cadant, madeant genæ.

Ab, si quodam,
cor Christianis-
simum, spectaf-
ses non Leo-
nes & Urso,
Sed proh do-
lor, homines,
qui pretioso
sanguine Iesu
Christi consti-
tere, eosque
non mares
solum; verum
etiam imbecil-
lem sexum se-

Præterea, avertis scire auditores suavissimi, quàm ferina, quàm foeda, quam non digna homine res sit *Bellum?* Spectastis nè unquam *leonem* cum *Urso* commissum? Qui rugitus, qui fremitus, quæ immanitas, quæ laniens, quod murmur? Inhorrescit etiam qui spectat in tuto. At quanto immanius, videre hominem cum homine, tot armis, tot telis instructum conflare? Profectò, *nullum hic hominis vestigium.* Ego non puto hîc ipsam *Naturam* quod condidit agnituram? Et si quis admoneat, an non meritò huiusmodi verbis sit execratura impium facinus? Ita procul dubio fari inciperet: Quod novum ego spectaculum video?

ET UTILITATE PACIS.

video? Quis *tartarus* nobis hoc *portētū* edidit? Sunt qui me *novercam* appellent, quod in tam immensa rerū universitate *venena* quædam genuerim, (iterum verba istius *Batavi* mea facio) quanquam & hæc aliquando in hominis commodum cessura: quod aliquot animantia parum mitia finxerim; etiam si nulla fera tam immitis sit, quin arte & officijs possit cicurari.

Hominis curâ mansuescunt *leones*, mitescunt *dracones*, ferviunt *ursi*. Quæ tandem est ista plusquam *noverca*, quæ *rovam* hanc belluam totius mundi pestem nobis dedit? Unum, *pergeret*, ego animal totum genui benevolentia, placidum, amicum, salutare. Quî factum est, ut in hujusmodi feram degenerarit? Nihil hîc agnosco hominis illius quem ego finxi. Quis *malus genius* vitiavit opus meum? Quæ *saga* mentem humanam excantavit, & incantavit belluinam? Quæ *Circe* nativam mutavit formam? Iuberem ut ad speculum sese contempleretur infelix: *sed quid cernant oculi, quum mens absit?* Tamen aspice te ipsum, si potes, *furiose bellator*; si quo pacto contingat resipiscere. Unde tibi *minax crista* verticis? Unde *fulgens galea*? Unde *ferrea cornua*? Unde *pinnati cubiti*? Unde *squama*? Unde *dentes aerei*? Unde *lamina*? Unde tela lethifera? Unde vox plusquam ferina? Unde vultus iste plusquam belluinus? Unde tonitru & fulmen, ipso Jovis fulmine tum formidabilius, tum nocentius? Hæc atque alia id genus plurima diceret, opinor, architectrix illa rerum *Natura*. Ergo qui sapit, fugiendo detestetur *Bellum*.

Quis præterea, usque adeo esset stultus, qui *Bellum* pro pace eligeret? Quis inficiabitur fugiendam, & serio fugiendam tristissimam lanienam? homicidium, homicidium sceleratissimum? Quis ab *Ecclesia*, quæ ab hoc ipso dissipatur,

â Re-

metipso, usque
& instinctu
Imperatorum
Ethnicorum,
immanissime
vulnerantes &
dilacerantes:
certè, pugnas,
crudelissimas
pugnas,
non mediocri
certamine
committas, la-
chrymosis vi-
disses oculis!
Ita enim *Suetonius*
de *Domitiano*: Venationes gladiatorum
resque & noctibus ad lych-
nuchos, nec virorum modo
pugnas, sed & foeminarum,
Cap. 4. pag. 469.
Ita etiam *Statius*
de his *Domitiani* ludis:
Hos inter fremitus, nos-que lusus, Stat
sexus rudis, insciusq; ferri,
Et pugnas capit improbus
viriles: Credas ad Tanaim fe-
rumque Phasim Thermodonti-
acas calere turmas.

Ammi-
ratiam
candi-
nè cæ-
gestæ
Cam-
si non
um do-
guine,
uondā
n Afri-
o Anti-
is non
od pri-
n viros
te mei
queru-
m feri-
m? Spe-
Qui ru-
niena,
o. At
tot ar-
lum hic
quod
merito
ta pro-
culum
video?

DE CRUDELITATE BELLI,

à Rebus, quæ enervantur, ab ædibus cuius que & penati-
 bus, quæ expilantur, *Bellum* esse totis arcendum viribus, in-
 dubium vocaverit? Si insonat classicum, *Bellaque* matri-
 bus invisa, quæ quemque *dignitas, virtus, atasq;* proteget,
 quo minus supra cædibus misceantur? Hic grandævos se-
 nes, & exactâ ætate foeminas *ad prædam*, in ludibrium trahi
 videbis: ibi adulta virgo tot raptatur manibus, ut ipsos non
 raro raptores in mutuam perniciem ardor agat. Alibi
 Templorum calcantur dona: & quæ sacrata Deo, prostibu-
 la (*detur venia verbo*) exornant. At, ubi obvia quæq; dire-
 pta, addita per verbera & tormenta scrutari lubet, *id quod*
finitimæ Regiones & vicini nostri satis superq;, experti sunt,
 fiuntq; Dominorum proditores servi; liberi parentum, &
adultæ virginis mater. Faces dehinc in manibus, quas, ubi
 præda omnis excussa, in vacuas domos & inania, per ludi-
 brium & lasciviam, jaculentur *Templa, ut vel ignibus (ut*
venustè & verè loquitur eruditissim⁹ Scribanus) sit im expleant,
quàm non sanguine, non libidine, non prædâ valuerunt. O lon-
 ganimitatem Dei! Hinc deformis & misera passim facies,
vulnera simul & scorta, cruor & adulteria, ignis & præda: la-
crymæ & risus: ac inter arma plusquam in luxurioso otio li-
 bidinum, prorsus ut eisdem *furere credas & lascivire.* Inde
 tanquam per lusum frigido etiam tunc ferro, & mente sæ-
 vire placet; ut arbitreris *in varia cade oculorum pabula quæri.*
 Quod si quibus relicta in poenam anima tenebris clausi sæ-
 voq; arctati ferro, cum mœrore & luctu inter repetita ver-
 bera, novosq; cruciatus, morte graviolem vitam exigunt.
 Non secus ac olim *Aulus Vitellius, Nero Claudius, Cajus Ca-*
ligula: quorum *ille* pronus ad cuiusq; & quacunq; de causa
 necem atq; supplicium. Nobiles viros condiscipulos, &
 æquales suos omnibus blanditiis tantum non ad societa-
 tem

ET UTILITATE PACIS

Imperij allicefactos, vario genere fraudis occidit, etiam unum veneno manu sua porrecto in aquæ frigidæ potionem, quam is affectus febre poposcerat. Quendam in ipsâ salutatione supplicio traditum, statimq; revocatum, cunctis clementiam laudantibus, coram interfici iussit, *VELLE SE*, dicens, *PASCERE OCULOS*, prout de illo refert *C. Suetonius Tranq.* in vita ipsius, cap. 14. pag. 431. Iste mori iussis non amplius, quàm horarium spatium dabat: & ne quid moræ interveniret, medicos admovebat, qui cunctantes continuò curarent (ita enim vocabat) venas mortis gratia incidere. Creditur etiam *Polyphago* cuidam *Aegyptij* generis crudam carnem, & quicquid daretur mandere assueto, concupiuisse vivos homines laniandos, absumentesque obijcere: Ut idem *Suetonius de isto commemorat in eius, Vita, cap. 37. pag. 372.* Hic, ita: *Utinam P. R. unam cervicem haberet*, in ipsius vita, cap. 30. pag. 271. Puteolis dedicatione pontis, cum multos è litore invitasset ad se, repente omnes præcipitavit. Quosdam gubernacula apprehendentis, contis, remisque detrussit in mare. *Romæ*, publico epulo servum, ob detractam lectis argenteam laminam carnifici confestim tradidit, ut manibus abscissis, atq; ante pectus à collo pendentibus, præcedente titulo, qui causam poenæ indicaret, per coetus epulantiû circumduceretur. *Lautiore convivio effusus subitò in cachinnos, COSS. qui juxta cubabant, quidnam rideret, blandè quærentibus: Quid, inquit, NISI UNO NUTU JUGULARI UTRUMQUE VESTRUM statim posse.* *Suetonius in ipsius vita, cap. 32. pag. 272. & 273.* *Quid multis? Bellum, ita me Deus amet, quicquid justum, quicquid pium, quicquid lætum, quicquid pulcrum, obruit, extinguit, abolet, omniumq; malorum lernam in vitam mortalium effundit. Etenim, in Ecclesia*

E docen-

DE CRUDELITATE BELLI,

docendum, *Belli* tempore, insuavis res: paucissimi, aut plañe nulli conveniunt; sed rebus Bellicis intenti, corporis & bonorum defensionem curant potius, quàm ut animæ salutem quærant.

Religio ludibrio tunc est, sacri & profani nullum omninò discrimen. In templo laudes Deo altissimo sunt decantandæ? Interrumpit illas cantus bombardarum, sclopetorum: Sacramenta administranda? abusus horum potius in pejectionibus *millies millena Sacramenta*, sive, ut ex maledicto ore evomunt, *millenos tonnos*, hinc inde impiè eructaria audias: *Christi merita* inculcanda, pro, quantus horum contemptus & frigidissima meditatio! Tempore *Belli*, per socia corpora viam sævitæ sternunt, carnificumq; manu theatra madent, civiumq; cruore tota natant oppida, insepultusq; opulentissimarum civitatum ruderibus populus jacet, cineribusq; cineres permisti, nullo lignorum cadaverumq; discrimine; cum, quæ seculis crevere, una rapuerit hora, & ad humilem arenam vagumq; pulverem deduxerit inimicus ignis, mutua eunt gratulationes, onerantur barbaris narrationibus mensæ; & sicca pocula sint, nisi narrato natet sanguine, languida, fercula & nauseam hospiti suo factura, nisi his famem provocantibus condiantur. Ille maximus, qui ferocissimus, quiq; plura crudelitatis per cachinnum & jocum miscuit, bis etiam narratione crudelior: facta comitantur ira, indignatio, & recentia odia, ac tanquam fornace sua calentia. At ubi illa referent, & vindictæ jam litatū est, quæ rabies, posito ferro, inter amica pocula, convivales mensas, eadem cogit, tanquam novū ferculum nova feritati saturanda repetere? Tempore *Belli*, pietati nullus relinquitur locus, omnia in peius ruere incipiunt. Ah, quis fando tantum malorum lernam ex bellicis tumultibus promanantē, explicare potest? Tempore

ET UTILITATE PACIS.

pore *Belli*, *Diaboli* Regnum propagatur, amatur, magis
 quæritur, quàm *Christi*, ubi cædes mutuae, *Religionis* abjectio,
 operationes detestandæ. *Ubi nam*, inquit magnus ille
Erasmus, *Diaboli regnum est, si in Bello non est?* Exempla si de-
 sideratis? Quis *Alexandriae* verbum *J E H O V E* annuncia-
 vit? annunciauit immarcesibili gloriæ coranâ cinctus D.
Athanasius. Quis *Ephesi*, *Corinthi* illud idem docuit, expli-
 cavit, illustravit? docuit, explicavit, illustravit, magnus
 ille *Gentium Doctor D. Paulus*. Quis *Constantinopoli*? Multi
 Apostolorum discipuli. Quis tanto zelo & fervore *Hieru-*
salem in sancta civitate cultum divinum propagarunt, instil-
 lârunt? Propagârunt, instillârunt *Dominus noster J E S U S*
CHRITUS undiq; *Apostolorum* stipatus choro: *Esaias*, *Je-*
remias & ex *Prophetarum* numero alij multi. Omnes hæ
 Urbes *Bello* vastatæ & dirutæ, aut stabula latronum.

Cogor hic obiter saltem mentionem injicere *Hierosoly-*
ma: ô *Jerusalem*, *Jerusalem!* ô civitas sancta, sancti *DEI*,
 ubi es, ubi latitas? tu certè fuisti tanquam sol inter reliqua
 sydera: Fuisti, O *Hierosolyma* ædes sacra, Deo maximo cha-
 ra & electa; *Domicilium religionis veræ unicū in toto orbe*. Quid
 dicam de *Constantinopoli*? de illa sic *Constantinus Manasses*, *an-*
nal. fol. 386. Si lubeat alicui beatâ urbem *Constantinopolitanâ*,
 cum globo cælesti comparare, ac sacro sanctas ejus ædes,
 cum lucidis sideribus; non profus ab re fecerit. Ac splen-
 dent omnia quidem hujus urbis *templa*, perpetuis quasi lu-
 minibus, suisq; gratiis coruscant, ipsam rerum creaturam
 collustrantia, tanquam mortalium sidera lucida: verum
 ubi exoritur *sol*, aliorum omnium facies occultantur. Sed
 ubi hæ vrbes omnes? Ut brevitatî gratiâ, tantum duarum
 mentionem faciamus (omnes enim ita miserè periêre *Bello*
 destructæ evanûere) obsedit, vastavitq; *Hierosolyman Titus*,

DE CRUDELITATE BELLI,

ac ne *Templo* quidem abstinuit manus; quod manserat anteà tot cladibus in sua incolumitate. Capti cives, mania diruta, *vasta omnia atq; mesta*. Ubi *Constantinopolis*? capta ea *A. C. 1452. Maij 29.* perpetrata omnia illa est, quæ potuit crudelia excogitare impietas *Barbarorum*, omnem excedentia captum humanitatis, ut hac de re videri potest *Petrus Messias*, item *Zosimus*, fol. 989.

Quid prætereà, *Judeos* à cultibus divinis abstraxit? Certè nihil aliud, quàm *Belli* violentia: id quod libri *Machabeorum* passim testatum faciunt. *Rebusp. Bella* quantum noceant, dies me citius quàm oratio deficeret, si omnia inde promanantia recensere vellem incommoda. Ex innumeris tamen hæc tantū observate, auditores humanissimi: Quantum *Magistratui* conscribendi copias invidiæ subeundum, dum crebris decimationibus expilat suos, æraria publica exhauriuntur? Quantum negotij & sumptuum in adjungendis auxilijs, in accersendis cohortibus ex milite mercenario? Quantum impendij in apparatu & comœatu curando, in extruendis aggeribus, sarcinendis præsijs, in adornandis tentorijs, in fabricandis & comportandis machinis, armis, telis, sarcinis, vehiculis, pulvere tormentario, tormentis æneis, bombardis, hastis, sclopetis, globis?

Quid de negotiatione dicam civium? profectò tempore *Belli* omnium civium negotia impediuntur: merces neq; importantur, neq; evchuntur: Agri, horti, villæ, prædia non coluntur, propter metum hostium: cives onerantur exercitamentis, excubijs, vigilijs, ne rei domesticæ curam agere possint. Laboribus exhauriuntur, in compingendis vallibus, in evacuandis fossis, in suffodiendis cuniculis?

Quod si velimus rem ad calculum vocare, & veris rationibus expendere, quanti *Bellum* & quanti *Pax* constet, profectò

ET UTILITATE PACIS.

fecto comperiemus, *pacem* ne decima parte *curarum*, *laborum*, *molestiarum*, *sudorum*, *periculorum*, *sumptuum*, *sanguinis* denique *posse comparari*, quibus *Bellum* accersitur.

Supera, infera respice: grandia, parva considera; manu aut mente facta contemplare: si atrocius malum & infernalius (liceat mihi sic loqui) reperire licet, *Bello*, isto minime *Bello*, infausto *Bello*, dispeream! Etenim, privatim quoque *Bella* nocent. Quia, ut civium res planè imminuuntur: ita querelæ matrum, liberorum ob pauperiem audiuntur. Ibi nil aliud videas, quàm plebem expilatam, oneratos proceres, tot senes orbos: tot anus destitutas, & crudelius quàm ferro peremptas, tot matronas viduas, tot liberos orphanos, tot domus funestas, tot opulentos ad inopiam & incitatas redactos.

Quid præderea *hodierna Bella* ad antiquos Bellorum ritus? certè, quicquid ad animos moresque colendos, aut honestè oblectandos facere videbatur, id fecerunt *Romani*. Quicquid egerunt peregerunt: quicquid conati, venati. O verè magni *Romanorum* animi, quia genus suum atque etiam gentem illustrârunt!

Sed ne vaga & diffluens nimis oratio mea sit, adductis habenis, manebo in hoc gyro.

Quatuor oneris genera olim militibus *Romanis* imposta: *cibus*, *utensilia*, *vallum*, & *arma plus dimidiati mensis cibaria afferebant: omnes frumentum portabant, & tundebant pingebantque, aut motis manuarijs frangebant.* Apud *Romanos* constat virum egregium, *titulo & loco principali*, sumpsisse prandium tenue sine ullo paratu aut apparatu. Hodie splendide vivunt, & gulæ tantum indulgent, quantum ferre aut perferre vix aut nunquam possunt. *Romani & veteres* *lixas*, coquos & totum id genus è castris projecerunt, noluerunt,

Orium militum quantum noceat, præter Vegetium (de re militari) plerique omnes docuere Historici: referente Michaele Piccarto, decad. 3. partis prioris, cap. 3. pag. 144.

DE CRUDELITATE BELLI.

Reſte etiam
Janus Gruterus: otioſæ ar-
 matorum ma-
 nus facile laſci-
 viunt. *Par. 2.*
Diſcur. ad
Corn. Tacit.
p. 177.
 Ajunt Roma-
 nos magnis vi-
 ribus bella gef-
 fiſſe, quò bre-
 viori temporis
 ſpacio confice-
 rentur; hoſti
 obviam profe-
 ctos, ſtatim di-
 micâſſe; victis
 leges tuliffe.
 Noſtrorum
 ducum more
 ducendo *Bel-*
lum exhauriri
 ærarium, colo-
 nos agris au-
 ferri; oppida,
 urbes, provin-
 cias, regna in-
 colis ſpoliari,
 & ad miſeran-
 dâ vaſtita-
 tem redigi: nec niſi
 laſſata utrinq;
 crudelitate de
 pace cogitare.
Chriſtophorus
Forſtnerus in
ad Cornelium
Taci. notis,
pag. 167.

Iuerunt, proſtare cibos facilitate parandi gulam. Semper
 buccellato & communi cibo ſæpè farre & pulte vulgò uſi.

Nec etiam à profeſſo opifice panem, ſed ſubitarium, ſine
 furni aut clibani opera ſubito ſic in carbonibus aut ſub ci-
 neribus coquebant. *Portabant quoquè uenſilia multa, &*
magna onera ad lignandum, muniendum, etiam catenas ad ca-
ptivos vinciendoſ. Nec ſolum hæc, verum etiam arma por-
 tarunt, neque ut onus, ſed ut membra habuerunt. Omitto
 jam quod per clivofa: taceo, quod per dura: prætereo, quod
 per æqua & iniqua, ſæpè iter iniverunt, quòd non facile fi-
 niverunt, ſæpius nec ignem nec aquam viderunt, ſæpiſſimè
 vix atrum panem habuerunt.

Quid contra noſtri *Martiales* iſti lupi? Refragantur & ri-
 dent, & tantum ab onere ferendo abhorrent, ut vix ſua ar-
 ma, quid arma? imò vix ſeſe ferant. Quid de moribus di-
 cam? fuerunt *Romanorum* & *veterum* ſine fucò, ſine fallacia,
 & in proverbium abierat: **HOMO ROMANI INGE-
 NII: ROMANA SIMPLICITAS ET ROMANA
 FIDES.** Exinde etiam illud: **HOMO ANTIQUA
 VIRTUTE ET FIDE.**

Quæ nunc facies & forma? Ah quantum terræ marisq;
 quis obeat, nec tamen iſtiusmodi inveniatur. Hodie

Rara fides pietasq; viris, qui caſtra ſequuntur.

Videmus ambitionis, confuſionis, corruptionis pleraq;
 plena, omnia infida, intuta. Heu vanitates, heu malitias,
 heu ineptias, quas videmus, & quæ nunc audimus, quàm
 inopinata, quàm obliqua, quàm non pro veteri fide & mo-
 re *Romanorum*! Et omnia quia variant; (ut hic *Johannis*
Blumij verba mea faciam. *Orat: de Militiâ Romanâ, fol. 21.*)
 Quidam iracūdi, multi audaces, nonnulli timidi, in vinum,
 in veneres proniores plurimi. Multi ſunt qui ferrū ac ignē
 minan-

ET UTILITATE PACIS.

minantur. Hi sunt, qui inter medios hostium mucrones
immergere sese cupiunt, jam cadē in animo conceperant
jam gladiū jugulo devoverant; Ast ubi in acie stare debu-
erūt, ubi robur? ubi tot per annos meditata sapiētiae studia?
*Rectē dixeris umbras, non homines, quia nec mens, nec manus sa-
tis apta ad suum munus.* Quidam cum nomen professi in
veste aliquid mutant, ferocius incedunt, bacchantur, sive
ut *Apulejus* loquitur, *estur, potatur, pulmētis acervatim, pocu-
lis agminatim, panibus aggeratim ingestis*, non in usum, sed ab-
usum. Ecce jam miles? Ars est tractandorum armorum, nec
professio nominis & vultus, aut cultus, immutata militem
statim reddunt. *Non enim audax & minax vultus, nec vestium
nitor, vel auri & argenti gemmarumq; copia, hostes ad reveren-
tiam aut gratiam inclinant.* Non ita veteres & Romani.
*Quicquid illi erant, in pectore erant: nihil in illis splendidum;
nec in habitu, gestu, aut verbis ad ambitionem hujus aevi.*

Quām olim severi in milites delinquentes Romani & ve-
teres fuerint, quām curiosi, satis superque apparet ex mo-
numētis veterum de re militari. Apud *Indos* in morem
abiit, ut qui semel mentitus, ab omni magistratus honore
& munere exsors haberetur. Apud Romanos mendacium;
quia impietas, morte castigabatur. Certē *Belisarius* inter
Iustiniani imperatoris duces praestantissimus, *rusticorum &
agricolarum tantam curam habuit, ut in ducendo exercitu nemi-
nem eorum violari, nemini inferri damna pateretur, ne poma
quidem in arboribus pendentia milites sui attingere audebant.*

Hac ille securitate disciplinae consequēbatur, ut castra
ejus abundantiora essent, quām ullum in vrbe forum, ita
libera & segura erat rerum venalium importatio, ut ex-
pressē de eodem refert *Procopius* (in princip. lib. 3. de Bello
Gothico pag. 502. Et ex eo, clarif. Dn. *Camerarius* centuriā

Ubi hodie fi-
des? *Fidei in-
signis Castella-
norum* quorū-
dam exempla
vide apud *Mi-
chaelem Pic-
cartum* observ.
Historico-po-
lit. Decad. 1.
cap. 1. pag. 1.
Item: *Fidei
servorum in
Dominos in
bellicis pericu-
lis rarioribus
aliquot exem-
plis ostensae,
ibidem cap. 2.
pag. 9.*
Dico, triplicē
fuisse fontem,
ex quo validis-
sima Romana-
rum copiarum
flumina, quae
orbem terra-
rum inunda-
runt, prorupe-
runt: *Tribus,
Colonias, Soci-
os.* Hodiē cum
tympanum
strepit, coeunt
protervi, ocio-
si, legum impa-
tientes, paren-
tibus immori-
geri, maximi
mulierum
mœchi, alea-
tores, urbium
suarum fex &
purgamētum.
1 Hor.

DE CRUDELITATE BELLI,

quibus neque
boni intelle-
ctus est, neque
mali cura; qui
neq; in victo-
ria decus, neq;
infuga flagiti-
um putant.
Romani verò
ex tribubus
Colonijs, Socijs
militem habe-
bant electum,
belli & mune-
rum militariū
gnarum acie
in victum, &
qui annos non
plus ex fastis,
quàm stipen-
dijs suis nume-
rabat. *Christo-*
phorus Förstne-
nerus, in notis
ad Corn. Tacit-
tum, pag. 337.
Exemplis qui-
busdam, ijsque
paucissimis
comprobatum
dare nititur
Clarissimus
Dn. Piccartus:
Militarem di-
sciplinam ne
veteribus qui-
dem severe
semper habi-
tam aut custo-
ditam, *observ.*
Historico Polit.
Decad. 3. cap. 3.
pag. 140. Sed
nobis sufficiat,

1. *Hor. subces. cap. 5. fol. 52.* Idem fecit & *Totilas Rex*, dum
contra eundem *Belisarum Bellum* in *Italia* gereret. Agrorum
enim cultoribus, teste *Procopio*, per omnem *Italiam* malū nil
quicquàm intulit; *sed terram ut intrepidè colerent, nil secius ut*
antea imperavit. Romanis concedebatur sola hospitalitas
sub hac conditione, ut nihil ab hospite, quod vel homi-
num, vel animalium pastu necessarium exposcerent. Imò
non lignum, non oleum extorquere poterant (*jam saepe*
proh dolor, succum & sanguinem extrahunt & vitam omnem
è medullis. Quàm austerus & severus existeret *Aure-*
lius in constituendo crudeli & horrendo pœnæ genere?
Militem enim adulterum ita punivit: *deflectebat duarum*
arborum capita, & iisdem pedes alligabat, ut inde arboribus de-
missis, subitò scinderetur.

Turci, (inquit *clariss. Dn. Philippus Camer.* supra d. i. fol.
53.) quando non in hostico eorum exercitus, qui solet ple-
runque esse immensus, procedit, non solum accurrat è ca-
vent, ne consitis agris hortisve damnum inferatur: verum etiam
vel incautiores vel contumaciores severissimè puniunt.
De qua re habemus memorabile exemplum, inquit *Dn.*
Camerarius, apud *Bartholomeum Georgevitium* (De *Turco-*
rum moribus pag. mihi 53.) qui, utpote *αὐτοβίως*, ita scribit:
Tanta severitas disciplina est in Bello, ut nemo militum ausit ali-
quid injustè rapere, alioquin absq; ulla commiseratione puni-
retur.

Habentur enim inter eos ordinarij custodes, sive defen-
sores earū rerum, quæ in via militibus obviam per pueros
octo vel decem annorum, venales potantur, panes, ova,
fructus, avena & similia. Tenentur sic quoque defendere du-
cti præfecti, hortos fructuum, circa viam sitos, ut nec ipsi aude-
ant *Unum Pomum, vel hujusmodi simile sine licentia possidentis*

car-

ET UTILITATE PACIS.

carpere, alioquin & tales capitis pœnam luerent. Quum essem, inquit ille Georgevitzius, in exercitu Turcæ in expeditione contra Persas, vidi Tspahiam una cum equo & ministro decollari, quod solutus equus arva cuiusdam ingressus fuerat. Id ipsum asseverat Melchior Seidlitzius & vir militaris, in suæ peregrinationis historia, ubi dicit se, quum industria Gallici legati, cum suis socijs, ex Turcica servitute durissima, liberatus fuisset, vidisse in castris Turcici Imperatoris, quæ aliquot, & in his nonnullos pagos complectebantur, tantam disciplinam, modestiam & securitatem, ut in illis pagis, omnes fructus, gallinæ & aliæ aves cicures, ova quoq; atque reliqua. Colonorum substantia universa, penitus intacta manserit. Quid dicam de Simone Vignosio Ligure, & Genevësis classis præfecto? Is enim, ut Ubertus Folietascribit, & ex eo Dn. Camerarius, Urbe Chio potitus, cum ingressum in civium prælia militibus edicto interdixisset: *Unicus Filius*, paterna indulgentia sese adversus edicti severitatem fatismunitum ratus, cuiusdamque civis fundum temerè, ac per lasciviam ingressus, nonnullis uvæ racemis asportatis, comprehensus, racemisq; collo ad majorem ignominia notam suspensus palam virgis casus, totâ urbe jussu parentis ductus est, memorabili rigidi atque invicti animi exemplo, omnèque paternum sensum in ducum Imperijs, militarique disciplina & obedientia fancienda superantis. Memorabilis est igitur epistola militaris D. Aureliani ad suum vicarium, ut à Flavio Vopisco recensetur: **SIVIS TRIBUNUS** esse, imò si vis vivere: manus militum contine. Nemo pullum alienum rapiat, ovem nemo contingat, vnam nullus auferat, segetem nemo deterat, oleum, sal, lignum nemo exigat, annona sua sit contentus. De præda hostis, non de lachrymis provincialium habeat.

Sed quid nunc sessor ille super equum rusum moliatur, notiq;

F

proh

si maximam partem severissime in delinquentes milites ab Imperatoribus, & Belliducibus fuerit animadversu, petulantiaque intolerabilis tempestive & rigidissime coercita atque prohibita. Memores istius: Etiam interdum dormitat bonus Homerus. Operæ precium etiam erit legere & relegere concionem, quam Belisarius ad suos milites habuit: qua nimirum justitiæ & humanitatis cultor dux ille fortissimus milites modestos & temperantes esse jubet. Injustitiam & rapacitatem exercitui clades inferri evincens. Invenies apud Procopium, de Bello Vandalico lib. 1. pag. 186. & 187.

DE CRUDELITATE BELLI,

De Aureliano Imperatore, sequentia scribit Vopiscus: Militibus ita timori fuit, ut sub eo; posteaquam semel cum ingenti severitate Castrensia peccata correxit, nemo peccaverit. Quin & in jure nostro, ut sunt verba Dn. Boetii, quem allegat clarissimus Dn. Besoldus (in tractatu, de arte juris Belli fol. 124.) qui militem à Duce prohibitam facit, aut mandatum non servat, capite puniatur: etiam res bene gesserit lib. 3. §. 15 de re militari. Caesar in milites indulgentior aliàs militaria tamen delicta accerrimè vindicabit: & Pompejo adhuc in armis existente, totam Legionem exauctoravit, Suetonius, cap. 69. pag. 69.

proh dolor est, quàm ut longiorem narrationem requirat. O tempora, ô mores! videas nunc hinc inde cursitantes non homines, sed monstra: non milites; sed incarnatos Diabolos sub humanâ latitantes specie. Nunc ista infesta Bellona non bibit poscam, ut quondam Romani & veteres; sed vina generosissima; sed vina dulcissima: illaque avidissimè & largissimè sumunt & spongiarum more madescunt. Semper epulantur. Viuunt sine legum metu. Seditiosi, desidiosii, immodici, vinosi, furiosi: Quoties hætenus cum tædio, tædio autem? imò verò cum summâ animi consternatione etiam in patria hac nostrâ longè carissima, inaudivimus, quòd dicant: Cælum deseramus, ad ima Tartara properemus! Credimus nullum esse DEUM. Ergo in salutem Diaboli strenuè potabimus. Horror & stupor ubi estis? Ubi lachrymæ & complorationes? Ubi planctus & ejulationes? ô longanimiratem clementissimi! DEI nostri! Ah, auditores honoratissimi, dilectissimi, quis validus, & non jam prodigus aquarum, sed sanguinis, tanquam dissectis quaqua venis, sanguineos non devomet torrentes, ob tantas inauditas, insperatas blasphemias & injurias in DEUM nostrum benedictum in secula? O vos flagitia hominum! ô vos maculæ & vibices generosi Martis, qui seclerum confugium, otij secessum, desidiæ sepulcrum Bella habetis! ô vos excrementa (date pio zelo veniam) Satanae, quæ fors aliquando vos manebit! O vos inutilia terræ pondera! Quis mente integrâ & sensu sano præditus vos non excretur. Eò nunc res rediit, ut plerique homines, in primisque nostri Bellona sive potius Diaboli ipsius tanquam patris filij laudi sibi durcant malefacere, debacchari, delitiis Diabolicis se totos mancipare. Nunc inter Christianos vir fortis habetur, (ut iterum mihi hoc de suo largiatur Caspar Ens ex suo Batavo) si quis

ET UTILITATE PACIS.

si quis ejus gentis, qua cum bellum geritur, hominem, fortè obvium in nemore non armatum, sed pecunijs onustum, non *Bellum* molientem; sed ne bellandum sit, aliquò fugientè, occiderit, occisum spoliaverit, spoliatum defoderit.

Et *militēs* vocantur, qui spe lucelli ultrò provolant, ad pugnam; & in utraq̃ue acie ceu gladiatores pugnant *Germani* adversus *Germanos*, ad ejusdem principis ditionè pertinentes. Et hi quum à talibus præliis redeunt domum, velut egregij milites sua narrant facinora, nec interim ut *prædones* ac *patriæ perduelles*, ac *principis desertores* puniuntur. Carnificem abominamur, quod conductus, ex legum auctoritate fontes damnatosq̃ue jugulat: & qui relictis parentibus, uxoribus ac liberis, ultrò procurrunt in *Bellum*, non conducti, sed ambientes ut ad impiam lanienam conducantur, ubi domum redierint, gratiosiores pænè sunt quàm si nusquam abfuissent. Infamis est, qui vestem furto sustulit: qui & proficiscens in militiam & rediens à militiam tot immeritos spoliavit, inter fortes viros habetur. Ex militibus autem qui se *gessit immanissimè*, dignus habetur qui proximo *Bello Ducem* agat. Hanc dissolutionem disciplinæ militaris *Lactantius* inter signa præcedentia ultimum iudicium recenset. *In Epitome Divin. Institut. cap. 8.*

Ita videtis & tantum non palpatis, *Auditores spectatissimi*, quantum distent, quantum absint nostri ab antiquis. *ô tempora! ô mores!* Non amplius cernitur, alitur & fovetur *prisca fides & humanitas, comitas & pietas, non honor, non amor meliorum artium. Ferocia contra & contemptus DEI & verbi ipsius palmam obtinent. Nostris pacis turbatoribus nulla religio neq̃ in ore, neq̃ in corde; sed improbitas, sed crudelitas. Ô tempora! ô mores! Qui igitur nunc amat Bellum, amat ipsissimam improbitatem & crudelitatem.*

F 2

Porro,

Wer sagt es sey kein Höll/
Der wird drein kommen schnell.
Der Glaub wird ihm ohn frommen /
In seine Hand nein kommen.
Elias Urfinus in Tuba Angelica fol. 302.
Gottslästerer vermessen /
Ihn selbst die Zung abfressen.
Bella, nefandissima Bella pleriq̃; desiderando desiderant, & votis infau-
stis tantum non postulando exposcunt, accersunt.
Quod si maxime (ut loquitur *Cornelius Tacit. 1. Annal.*) militaribus animis fomenta quædam adhibeantur, ut *PACEM* ferre velint; tamen sunt pauci aliqui, quibus res bellicæ quaestui fuere aut qui aliàs pacis tempore bonis claruere, qui, ut anguillas capiant, hoc est, rem faci-

quirat,
es non
Diabolos
Bellona
ed vina
simè &
Semper
iosi, in-
dio, ta-
natione
ivimus,
eremus!
boli stre-
chryma
ougani
es hono-
rodigus
a venis,
auditas,
um bene-
aculæ &
, otij se-
cremen-
ndo vos
nte inte-
Eò nunc
i *Bellona*
i sibi du-
se totos
etur, (ut
Batavo)
si quis

DE CRUDELITATE BELLI,

ant, turbant
aquis, & no-
vorum bello-
rum semina
spargunt, si
non foris in
ipso etiam
Reip. gremio.
Observante
Clariss. Piccar-
to, Observ. Hist.
pol. dec. 2. pri-
or. cap. 10. pag.
328.

Porro, Etsi res multæ homini ad conservationem vitæ utiles sunt: tamen præter *Pacem* in rebus creatis nihil gratiosius audiri, nihil delectabilius concupisci, nihil utilius possideri solet, ut cum *Augustino* loquamur; imò solemè mundo solet tollere, qui *Bellum* paci præfert.

Pax enim secundum *Tertullianum*, est *tranquilla libertas*, multorū *amicitia*, *cujus nomen dulce & res ipsa salutaris*: quæque ut *Chrysostomus* ait, *Omnis Gaudij est Materia*.

Bellum contra est *omnium rerum perturbatio & everasio plurimum*: *Simultas*, *cujus rumor metum & horrorem incutit*; *res ipsa abominanda & detestabilis*, *omnis tristitia & lamentationis materia*.

Pacis tempore *pietas & religio efflorescit*: *Sacrorum cultus fervet*: *honestissimarum disciplinarum studia coluntur*: *otio fruuntur Musæ exoptatissimo*: *eruditur juvenus in pietate & liberalibus artibus*. *Reipublicæ disciplinæ & leges vigent*: *æquitas valet*: *pollet humanitas*: *Iustitia pacem osculatur*: *opiticum artes exercentur*: *Uberior est quæstus pauperum*: *splendidior opulentia divitum*: *coluntur agri*: *vernant horti*: *pascuntur pecudes*: *ædificantur villæ*: *extruuntur oppida*: *instaurantur collapsa*, *ornantur & augmentur tenuia & angusta*, *crescunt opes*: *aluntur honestæ voluptates*: *tranquillo fruuntur ocio senes*: *bonis nubunt auspiciis virgines*: *Quid multis?*

Pax optima rerum,

Quas homini novisse datum pax una triumphis
Innumeris melior.

Animus adhuc in dubitationis seffitat navigio, velificat remigio? *Adeamus sanè sacratissima illa veritatis cælestis oracula*, quæ sunt *legenda religiosissimè*, *tenenda piissimè*, *terenda attentissimè*, *ad usum transferenda frequentissi-*

ET UTILITATE PACIS.

tissimè, & ad lapidis instar Lydii prolata examinanda diligenti-
 gentissimè: quid illa de pace? Ecce, inquit saera illa pagina,
quàm bonum & quàm jucundum habitare fratres in unum,
 (Psal. 123.) Verè enim bonum & jucundum est, cùm habi-
 tamus in unum: *Cum Populus sedet in pulcritudine pacis, in
 tabernaculis fiducia & requie opulenta:* (Esaiaë 32. Tempore
 enim pacis filii sunt sicut novellæ plantationes. (Psal. 144.) Fi-
 liae compositæ, circumornatæ, promptuaria sunt plena, oves eo-
 rum fœtosæ, abundantes in egressibus. Non est ruina materiæ,
 neq; transitus neq; clamor in plateis; sed populus habitat absq; ti-
 more ullo, unusquisq; sub vite suâ, colit unusquisq; terram suam
 cum pace, & terra dat fructus suos, & ligna camporum fructum
 suum: (2. Reg. 4. 1. Mac. 14. 2. Mac. 11.) Agunt sine tumultu, &
 bono sunt animo, propriisq; utilitatibus deserviunt: &
 absq; ullo terrore vitam in silentio transigunt. Vocat vir ami-
 cum suum subter vineam, & subter ficum: (Zach. 3.) sedent se-
 nes & anus in plateis, complentur infantibus & puellis ludenti-
 bus plateæ civitatis: (Zach. 8.) Auditur quoq; vox sponsæ, vox
 gaudij & lætitiæ, vox Cytharædorum & Musicorum, & labia
 cunentium: (Jerem. 7. Apocalip. 18.) omnis artifex & ars flo-
 ret (Jerem. 31.) vox mola auditur, & lucerna lux lucet: (Esaiaë
 9.) Latantur in choro virgines & juvenes: latantur homines in
 messe, egrediuntur cum tympanis vindemiantes & c.

Profectò, quod hic recitaverim vocabula, tot numerâ-
 rim oracula! *Inexhaustus*, præter scripturam Sacram se
 offert, classicorum scriptorum, meam sententiam tutan-
 tiû, nempe: *Pacem* etiam *justissimo Bello* præferendam; alte-
 ram verò impugnantium, *Oceanus*, per quem natare inge-
 nioli mei remigium posset: nisi *Cynthius* aurem velleret, &
 habendam auditorum rationem impelleret.

Antequam autem planiciem terat equus meus ligneus

DE CRUDELITATE BELLI,

(ut cum Cicerone loquor) hoc est portum contingat cymbula, per placidum vecta revectora vadum, Sabinum omni laudis præconio & encomio ad Cælum usque evehendum, talia pacis commoda scitè complectentem, lubet audire, qui ita:

“ Pace nihil melius, nil pace salubrius Orbi
 Terrarum, Cœli qui regit astra, dedit.
 “ Pace Dei cultus legumq; ferenda potestas
 Et sacra Musarum gloria pace viget.
 “ Pace frequens affert hymenæus gaudia sponsis
 Educat & castus pignora casta torus.
 “ Pace suas mercator opes, sua rura colonus
 Possidet, absq; metu carpit & hospes iter.
 “ Tunc resonant Cytharæ, tunc saltibus apta juventus
 Ad numerum catu ducit ovante choros.

At simul atque sæva Belli tempestas incubuerit, DEUM
 immortalem! quàm ingens malorum pelagus occupat,
 inundat, obruit universa. Religio ludibrio est, sacri & pro-
 fani nullum omninò discrimen: Tempia non frequentan-
 tur: nullus honos literarum studiis, ut Ennius optimè
 cecinit:

*Tollitur è medio sapientia vi geritur res
 Spernitur Orator bonus, horridu miles amatur.*

Silent leges: Justitia ridetur: exulat æquitas: disciplina,
 excutitur: corrumpitur omni vitiorum genere juventus:
 civium opes execratis prædonibus impenduntur: floren-
 tissimæ civitates unâ procella subvertuntur: ut supra etiam
 pluribus, ad nauseam usque indicatum est. Mœrent domus
 metu & luctu, querimonijs ac lamentis complentur omnia:
 frigent artes opificum: trucidantur agricolæ: abiguntur
 pecora: exuruntur villæ: proteruntur segetes: tot seculis

Quemadmodū
 refert Cajus
 Suetonius de
 Nerone Clau-
 dio. Ita enim
 inquit, in de-
 scriptione Vitæ
 Neronis: Pesca-
 tus est rete au-
 rato, purpura
 coccoq; funibus
 nexis cap. 30.
 pag. 363.

(Oju

ET UTILITATE PACIS

(O justissime Deus !) exstructæ florentissimæ machinæ & operationes in nihilū abeunt & fumum. Finis Bellorum est, ut Victus Pereat & Victor se suosq; Perimat. Ut enim Dracones exsugentes Elephantorum sanguinem: & Elephantos perdunt, & sibi necem accersunt: Plinius (lib. 8 cap. 12.) Ita etiam comparatum est in Bello. Aurelianus victor in Augusto, Bellorum cupidos comparat illis qui* hamo aureo pifcantur, cujus structuræ detrimentum nullo capturæ lucro potest compensari.

O igitur nos insensatos si Bella sectamur! si animus Bellorum & sanguinum spirans, flectique ac parcere nescius. Non enim incendiis, rapinis, cædibus expleri, nulloque fatiendus sanguine, non non si totis Oceanus ostiis sanguinem vomat. O Christiani quid audemus, quod nobis studium, quæ meditamur! Si ita nobis Bella placent, sciamus, nos interim inter hæc rapi trahiq; miseros ad alterius seculi justa. O nimum! tribunalia, o nimum! trahimur inermes, nudi que feralis sententiæ miseranda capita, infelicisq; eternitatis hostiæ infelices. Pro sanguine, inter sevas carnificum manus, nullo ævo mitigandas, perennaturis ignibus cruciandi. Hic animorum & efferatarum mentium exitus nullis imbribus, aut Oceano purgandus, nullis oculorum fluminibus diluendus. O ubi cogitationes nostræ! è medio, adeoque inchoato quidem non raro rapimur cursu, è cogitato scelere, purâ adhuc manu; è meditato facinore, integro licet corpore ad alterius ævi immittia rostra, in quibus ferocissimus quisque, & ille incensor popularis animi, ille orbis domitor, novarumque terrarum circumspectator, toto contremiscat corpore: ut nec virgulta patentibus quaq; campis, ruentibus undique ventis, tot tamque variis concutiantur motibus: (ut iterum hîc & lepore & vigore, & rigore utar facundissimi

Scriba.

Die Rach vnd
Jorn vben/
Die frommen
hoch betrüben/
An den der Hölle
lisch Drach/
Wird vbe dort
sein Rach.
Elias Ursinus,
in Tuba Ange-
lica, fol. 353-
Ja / da wird es
anz einẽ andern
Satz gehen / ihr
lieben Leut.

Kriegsgurgel
furch vnd stolz/
Dort wirstu
finden Holz.
Dort wirstu
finden Zech/
In der Hölle
schen Zech.
2.

Du hast nicht
glaube an Gott/
Der betrüben
nur gespott/
Dein Himmels
reich auff Erden
Hast ghabt/
nach dein bes
gehren.
3.

Drumb:
Sauffgurgel
Durst wirst
haben/
Niemand dein
jung wird labẽ/
Schwefel vnd
Höllisch pech/
Wird sein bey
dieser Zech.

ymbu-
laudis
talia
udire,

entus

DEUM
ccupats
& pro-
mentan-
optimẽ

tur.
ciplina,
ventis:
flore-
a etiam
domus
omnia:
iguntur
t feculis
(O ju



DE CRUDELITATE BELLI,

114

*
 Lege saltem
 caput 29. deli-
 phus Vita con-
 scriptum à Sue-
 tonio, & obstu-
 pesces. cap. 32.
 & indignaberis
 pag. 365. Caput
 34. ubi de Par-
 ricidio ejus in
 matrem & ami-
 tam. pag. 367.
 Cap. 35. ubi
 parricidiū ejus
 in uxores, ac
 sibi conjūctif-
 simos &c. cum
 stupore anim-
 advertes.
 pag. 369.
 (Suetonius, in
 ejus Vita, cap.
 13. pag. 430.
 certe non sine
 summa admi-
 ratione legi
 primum caput
 istud; Verba
 formalia verò,
 in alterâ Ora-
 tione (de Cau-
 sis horum tem-
 porum, quæ

Scribanij) hic ille, quem in alieno sanguine, ut medio pisces mari
 vidisti ludibundum, pallens pavensq; ad nil profuturas decurrit
 lachrymas, ad muliebria arma. Hic ille civilis incentor Belli
 exitialis flammæ facula, ignem cædesque spirans; prædas
 sanguinemque deructans, latrocinia devomens, Urbium
 villarumq; viduator, agrorum barbarus depastor, scelera sceleri-
 bus farciens, omniū sator criminum, ad supplices decurrit preces,
 ad non valitura vota: advolvitur genibus, nullis suspirijs mi-
 tigandis: prosternitur pedibus, nullis submissionibus flectendis,
 & ad ultimæ deniq; desperationis blasphemias descendit voces.

Flectamus hic oculos ad omnes propè bellis & imperio
 claros, videamus quàm pauci siccâ morte, quàm pauci de-
 fierint suâ, quàm propè nullus cui non parata ruina, pro-
 culcatio, carnifex, nec magnis ista momentis divisa. Hora
 momentum interest inter triumphos, imperia, & aliena genua.
 Cræsum cogita, qui rogum suum & ascendit jussus & extin-
 gui vidit. Nonnè *Q. Catulus* Cimbrici triumphi *Marij* socius
 mori jubetur recenti calce cubiculo illito, multoque igne
 excitato? tantum illi nocuit, in victoria socium fuisse. Non
 nè *Sejanum*, quo die cum *Senatus* deduxerat, *populus* in fru-
 sta divisit? *Galbam* & *Pisonem* quis ignorat? contis affixa
 capita inter cohortium signa, juxta legionis aquilam,
 certatim ostentantibus cruentas manus, qui occiderant,
 qui interfuerât, qui verè, qui verè falso, ut pulcrum & me-
 morabile facinus jactabant, *populus* vidit.

* *Neronis* efferos mores, ferale pectus, quæ non loquitur
 pagina? quod monstrum simile, libidine sanguineque con-
 flatum? post nobilitatis cædem tanquam inter *Circenses* &
 gladiatorios *Amphitheatrales* ludos, post uxores *Octaviam* &
Poppæam etiam mater in verecundo jacet ferro. Cinis au-
 dit

ET UTILITATE PACIS.

fit & favilla, & triste illud, *FUI*; inter fruticeta & vepres per angustias effossæ cavernæ in clientis cellula salutem sperat. Sueton. cap. 10. 11. & 12. in vita, pag. 418. & 419. *Othonem* quis nesciat; illum mollem & muliebri ornatu inter stupra & comestiones, & fæmineos cœtus dum privatus staret, miserè etiam periit.

Quis inexpleriles non audiit *Vitellij* libidines? cum novies *millies sestertium* paucissimis mensibus inter irritamenta gulæ stupentibus ab utroque mari itineribus interverteret? Et hic est ille *Imperator* fortunæ lusus, cui à *Romano Imperio*, religatæ post terga manus, injectus cervicibus laqueus, seminudus apud *Gemonias* minutissimis ictibus ex carnificatus unco tractus in *Tiberim* dejicitur. *C. Cæsarem Caligulam* imperij portentum, quis non legit? Quid de illo dicamus? Idem *Suetonius*, in *Vita*, cap. 58, pag. 294. Sex & triginta concisus vulneribus jacet, cum triennio & decem mensibus imperasset, *seculum credas, si scelera intuearis, nefandorumq; facinorum numerum ineas.*

Cætera vide apud *Scribanium*, *Philos. Christ.* cap. de bello pag. 428.

Talis exitus plerumq; manet impios, temerarios, contra voluntatem & mandatum Dei sanguinem innocentem sitientes; adversus *CHRISTUM* & membra ejus immaniter crudeliter sævientes, tyrannizantes, tumultuantes.

Abige, ô *Sanctissima Trinitas*, contunde, confunde istiusmodi inutilia terræ pondera: Pessunda hosce crudelissimi *Martis Martiales*, ô *justissime Deus!* Tolle has è regione & patria nostra carissima, pestes; has mali seminis noxias herbas, hæc tritico tuo intersparsa zizania ignibus deputata, hos maligni fruticis & cauli venenarios flores, hæc

G

impia

propediem, cum bono Deo, modo si adsit, qui sumptus impendat, lucem ad spectum ra est publicam) justo allegata videbis. Mortem ipsius ignominiosissimam vide, cap. 17. pag. 434.

DE CRUDELITATE BELLI,

impiaë radicis barbara germina, hos novercalis vineæ, labruscatos palmites, hæc omnis pietatis, probitatis, castimonie toxica. Neque hæc enim aliâ manu cadere, alâ eradicari, quàm tua CHRISTE, possunt. Sed quò prolapsus? Quid ultra detineo splendidissimum hoc auditorium. Vestrà certè summâ patientiâ summè abusus sum.

Quàpropter ad finem exoptatum dum propero, adhortor omnes verè Christianos, ut *Bellum* ceû bestiam venenatissimam, monstrum horrendissimum (liberè sic loquor,) *Diaboli* asylum & refugium omnium scelerum ex toto corde & animo fugiant, detestentur, execrentur.

Ferè enim majora scelera committuntur, dum civitas capitur, quàm ea sunt, quibus meretur capi. Tantæ impietatis indubium signum est, quod in præsentî periculo, inter morientium strages, de salute cogitatio seria haud suscipi solet.

Atque illud est, quod duratum malis animum, gratiæq; divinæ contumacem ostendit; non constanter mori, sed vitijs immori. Nullo periculo moveri ad pœnitentiam, malis ipsis indurescere. Causa est quia tantorum certaminum finis divitiæ sunt, ut sunt verba clarissimi *Besoldi* & c. (de arte jureq; *Belli*, fol. 5.)

*Vsq; adeò solus ferrum, mortemq; timere,
Auri nescit amor; pereunt discrimine nullo
Amisæ leges, & pars vilissima rerum,
Certamen movistis opes.*

Imò, *Bellum* facile quidem suscipitur, etiam ab ignavo; at difficulter depellitur, ut *Salustius* inquit (In *Bello Jugurthino*) utque *Silvam* qui accendit, non amplius ignis ad ipsius arbitrium, sed ventis regitur & obvia absorbet: Ita *Bellum*, quod quorundam audacia, vel ignorantia excitatur, non amplius in ipsius manu; sed à fortuna regitur, quemadmo-

Ignem facile accendunt seditio si, difficulter extinguunt sapientes. Vide *Procopium*, de *Bello Vandalico*, lib. 2. pag. 248.

dum

ET UTILITATE PACIS.

dum Polybius scribit (lib. II.) Et nunquam minus quam in Bello eventus respondent, de qua re legendus Livius (deca- de 3. lib. 10.) De causis vero Bellorum & in genere temporum horum tristissimorum, cum bono Deo, proxima edisseram occasione.

Amplectamur igitur pacis studium, o auditores omnium ordinum colendissimi, observandissimi, ut Christus agnoscat suos. Nihil admiremur, nihil ambiamus, quod est hujus mundi: tantum hoc agamus ut hinc quam maxime expedi- ti evolemus: maximo nisi rapiamur ad caelestia: felicitatis nostrae summam in Christo collocemus. Persuasum habeamus hominem pium a nemine laedi posse: Bella in aeternum nocituris hostibus parentur, CARNI, MUNDO, DÆMONI: habes hos perpetuos, habes domesticos, habes inter gaudia, mærores, vigiliis, somnum: inter non moritura odia aeternitate insidiantes, nulla hic inducia, aeterna Bella sunt. Nulla armorum cessa- tio, perennis dimicatio est, nulla hostilitatis intermissio, perpetua colluctatio est. Exurge & invigila anime. Nulla quies ab hac manu est, non dies noctes immunes, & valida stat acies tot anno- rum militia probata, tot magnorum cadibus & monumentis cla- ra. Pauci ex hac lucta e millibus vitam retulerunt, invulnera- tus transit nemo. Nulla hic de regnis, opibus, gloria concertatio est: de aeternitate est. Semel peristi? aeternum jaces, tormento- rum & ignium infelix pabulum. Erigere tantum Christus in ca- pite pro galea sit, aeternitas, pro clypeo, incerta vite hujus pro fer- ro, his armare & tutus eris. Hæc sit nostra meditatio quod itia- na. Agedum verè Christiani qui sumus, perpendamus quam inania sint, quam fugacia rerum humanarum ludibria. Illud præ- terea præcipuum nobis incumbat, ut Mundo fiamus & in aqua- les & ridiculi, & inimici. Nam cum minimè ad eum quadret, etiã ministros ejus dispares esse oportet. Unde illud nobis expe- ctandũ, ut tam videamus mundum stulti, inepti, aut furiosi etiã

O longa, o pro- funda, o abyssa- lis, o aeterna Æ- TERNITAS! o igitur Homo, no- li rebus Bellicis animã oblecta- re tuam, quæ periculofissimæ! Noli divitem, quærere, qui o- pes suas tecum, partiatur; non sublimem, qui in honorum præcip- itie te sistat;

quam non vanè erudis

DE CRUDELITATE BELLI.

enim, qui variis
humanorum er-
rorum labyrinthis
te imbuat.
Non audacem,
qui in plurima
pericula te co-
mitetur; non hes-
itationem, qui lar-
giter propinet,
&c. Opes namq;
onerat, honores
inflant, Vanæ
sciëntiæ turbant,
vires præcipit
voluptates infi-
ciunt; omnia
verò Cœli simul
ac inferni obli-
vionem addu-
cunt.

* Militemus
bonam militiã,
fidem & bonam
conscientiam
servantes.

quàm illa revera talis est, eruntq; ita inter nos risus, incre-
patio, avocatio, perpetuum reciproca. *Qui verè Dominum
nostrum JESUM CHRISTUM amat, fugiat amorem mundi.*
*Nam nihil nos ab amore DEI magis abstrahit, quàm amor mun-
di: quem sacra scriptura regnum Diaboli appellat. Regnum
Diaboli est Regnum tenebrarum. Et ut luna nullum lumen
habet, nisi quod à sole accipit: Ita anima nostra tota tenebri-
cola est, nisi quantum à Deo illuminatur. Et quemadmodum
luna sub terræ umbram abiens, lumen omne amittit: sic &
anima nostra terrenarum rerum umbris (ut sunt similia non
inelegantia Casparis Ens) curis & cupiditatibus involuta,
claritatem illam perdit, à quâ divina oracula nos lucis filios
vocant. Quo circa omnino necessarium est, ut mulieris illius
Apocalyptica exemplo, lunam, id est, inferiora hæc & muta-
bilia sub pedibus habeamus. Ita fiet, ut Christo Salvatore no-
stro soli adhareamus, illiq; pro principe pacis agnoscamus, qui &
ipse CHARITAS est, nihil docuit, nihil tradidit nisi CHARI-
TATEM & pacem: agite dum, * nō titulis & insignibus, sed fa-
ctis exprimamus hunc & vitâ Satis hæctenus fusum Christiani
sanguinis. O mucro Domini, quo usq;? Ingredere in vaginam tuam, file &
quiesce. Ecce ô Domine Iesu, sanguis innoxius & justus in te clamat!*

Fortis adesto Iehu impietas maturuit & te,
Flagitat ultorem, Iezabel illa redux.

Si ita nos gesserimus, & per tolerantiam animas possederimus nostras,
hostis noceri haud poterit: Deus erit pro nobis, contra nos nihil valebit.
Deus erit nostra requies: Deus noster & omnia. Ille animū explebit nostrū.
Varietate quidem mundus animū delectat, sed non quietat; siquidē
nō tam multa homo terrenis deditus videt, quin plura videre concu-
piscat. Te igitur, Domine Iesu, si possederimus, nil moramur Cœlum & terrā.
Et hæc est quies anima, satietas mētis, & vita aeterna. O evolemo, evolemus!

DIXI.

Gloria in excelsis Deo, & in terra PAX, hominibus bona
voluntas, in nomine IESU, Amen.

FINIS.

ULB Halle

3

004 809 696





R. 336, 13.

CE D

DISSERT

BEL

PACI

Non ita p

Publicè in

M. JOH

RO, E

Pacis nomen d

Ex

Expresit typ

MA

NCTA,

LO-

MO.

Octobr.

terato

LIGE-

ORE

ris.

RCKEL.

4.

Vc
3961

